34. 6. D. 22

113

2

LIBER APOLOGETICVS

PRO

Ioanne 44. Epiſcopo & Patriarcha Ieroſolymitano, *directè:*

ET

Lucifero Sardorum Epiſcopo, *indirectè*

Bibliothecæ S.ᵗᵃ M.ᵉ Transpontinæ de Vrbe

114

LIBER APOLOGETICVS

PRO

Ioanne 44. Epiſcopo & Patriarcha Ieroſolymitano directè, & Lucifero Sardorum Epiſcopo indirectè.

Ex Correctioribus & auctis

Appendice Apologetica ad viſionem Eliæ &c. *Monito Chriſtiano* ad Apologema retortum pro Illuſtriſſimo ac Reverendiſſ. *D. Proſpero Fagnano* contra Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum *D. Caramuelem* pendentibus, & illis *Cauſa Chriſtorum Dei* nunc adiecta, & primum edita

ADVERSUS CRIMINATIONES

R. P. M. CHRISTIANI LUPI S. T. Doctoris Lovanienſis & Ordinis Erem. S. Auguſtini

Per R. P. *Franciſcum Bonæ Spei* Ord. FF. B. M. V. de Monte Carmelo Provinciæ Flandro-Belgicæ Ex-provincialem, & iteratò Lovanij S. Theologiæ ac S. Scripturæ Profeſſorem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ANTUERPIÆ,
Typis MARCELLI PARYS, Bibliopolæ jurati, in platea dicta Cammer-ſtraet, ſub nigro Cane. Anno 1666.

APPENDIX APOLOGETICA PRO IOANNE XLIV.

Epiſcopo & Patriarcha Ieroſolymitano,

CONTRA

R. P. M. CHRISTIANVM LVPVM

Ord. Erem. S. Auguſtini.

1 R. P. M. Chriſtanus Lupus nuperrimè *in Scholijs & Notis ad Canones quinti Concilii cap.* 6. ſub finem ſic habet: *De Marcello Ancyræ Epiſcopo, non pravorum duntaxat verborum, ſed & ſenſuum reo, ſcribit ſanctus Hieronymus in Catalogo:* Ille defendit non eſſe ejus dogmatis, cujus accuſatur. Et de Priſcilliano: defendunt quidam non ità eum ſenſiſſe, ut arguitur. *Eâdem viâ Ioannes Ieroſolymæ Epiſcopus errores ſuos conatus eſt fucare. Etiam Ioannes VVicleffus, ideoq; ejus* concluſiones & propoſitiones, de bonis operibus & fide malè ſentientes, *Gregorius Papa Vndecimus damnavit hâc adjectâ clauſulâ:* Licèt eas proponentes ſub quadam verborum ſeu terminorum curioſâ implicatione conentur defendere. *Eôdem modô, in cauſa ſimili, locutus eſt Pius Quintus:* Quanquam aliquô pactô ſuſtineri poſſent. Et infrà: *Et qui hodiè*

pro Tertulliano, Origene, Lucifero Sardorum Epiſcopo, Ioanne Ieroſolymitano Apologias in Eccleſiam ſpargunt, lavant Æthiopes, compeſcendiq́; ſunt, ut ingenia libertina & noxia, niſi brevi etiam pro Martino Luthero, & Ioanne Calvino velimus Apologias videre.

AUTHOR.

2 DVm *Operis de viſione Eliæ &c.* impreſſio ad finem tenderet, *Tomi duo* R. P. M. Chriſtiani Lupi *Scholiorum & Notarum in Canones & Decreta Generalium ac Provincialium Synodorum*, hîc Lovanij evulgati ſunt legi, & ſtatim opportunè importunè ſanguinolenta illa occurrit Ioanni noſtro 44. Patriarchæ Ieroſolymitano, ac toti Carmelitarum Ordini, illata injuria: percurri & alia, non ſine mœrore valdè ſenſibili, quòd inter varia, quæ doctè & ſenſatè ſcribit, ità imprudenter abſque ulla data ratione, examine & diſcuſſione, iſtam injuriam effutiverit, ut nihil minus curaſſe videatur, quàm illud Plauti: *Qui dicit, quod volt, audire debet, quod non volt.* Imò quàm illud ſacri Textus: *Honor & gloria in ſermone ſenſati, lingua verò imprudentis ſubverſio eſt ipſius.* Eccli. 5. cap. Vndè coëgit nos vel invitos ad Ioannis 44. Vindicias, monente Scripturâ ibid. cap. 44. *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua: multam fecit gloriam Dominus magnificentiâ ſuâ à ſæculo.* Sic igitur compendiosè de Ioanne 44. loquitur: *Eâdem viâ Ioannes Ieroſolymitanus Epiſcopus errores ſuos conatus eſt fucare.* Et infrà: *Qui hodiè pro Ioanne Ieroſolymitano Apologias in Eccleſiam ſpargunt, lavant Æthiopem, compeſcendiq́; ſunt, ut ingenia libertina & noxia, niſi brevi etiam pro Martino Luthero & Ioanne Calvino velimus Apologias videre.* Pro quorum examine clariori & Refutatione ſolidiori. Sit

PRÆ-

PRÆAMBULUM PRIMUM.

116

3. PRocedemus ſecundùm litteras SS. Epiphanij & Hieronymi ad Ioannem 44. præſcindendo ab Argumentis eiſdem præfixis, quæ indubiè Epiphanij & Hieronymi, non ſunt: nam ipſe Hieronymus in præfatione *lib. trium Decalogi* ſcribit, *ut probarem me non odiſſe homines, ſed errores; nec aliorum infamiam quærere; magiſq́; dolere vices eorum, qui falſi nominis ſcientiâ ſupplantantur; Attici & Critobuli nomina poſui*, ſed adjecta ab illis, qui Tomum Epiſtolarem Hieronymi impreſſerunt aut imprimi curarunt: nam in diverſorum impreſſionibus diverſa Argumenta reperiuntur, ut ſequentia, conſideranti patebit.

4. In vetuſtiſſima Moguntinenſi Petri Schoiffer. An. 1482. quam reperire potui, & reperi Brugis in celeberrimo Monaſterio Dunenſi Monachorum S. Bernardi. Argumentum Epiſtolæ S. Epiphanij eſt, *Ieronymus transfert Epiſtolam Epiphanij ad Ioannem Ieroſolymitanum miſſam contra Origenem.* Epiſtolæ autem S. Hieronymi, *Hieronymus Pammachio de Creatione animæ & Reſurrectione carnis contra Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum, & Ruffinum aſſertorem Origenis* Epiſt. 2. *Si juxta Apoſtolum.* Et infrà poſt hæc verba *maluiſti omninò reticere, quàm apertè, quod rectum fuerat confiteri*, ſequitur hic titulus, *Capitula Epiſtolæ Epiphanij, quæ de Origenis dogmatibus obiicit Ioanni Epiſcopo Ieroſolymitano*: quæ ſic incipiunt, *Et primum de libro Periarchon* &c.

5. In altera Nurenbergenſi Antonij Kobergerij an. 1495. Brugis in Monaſterio noſtrarum Monialium B. M. V. de Monte Carmelo: in qua argumentum Epiſtolæ S. Epiphanij ad Ioannem, *Epiſtola B. Epiphanij ad Ioannem Ieroſolymitanum per B. Hieronymum è Græco tranſlata, in qua ſe excuſat, quod in Monaſterio B. Hieronymi, inconſultò eò, Presbyterum ordinavit, oſtendens ſe jure feciſſe. Deinde illum commonet, ne Origenis erroribus implicetur, quos ex ordine narrat & delegit. D. Dilectiſſimo Fratri Ioanni Epiſcopo.* Epiſtolæ autem S. Hieronymi ad Ioannem 44. eſt tale, *Argumentum excerptū ex Gennadio, de Viris illuſtribus. Ioannes Ieroſolymitanus Epiſcopus ſcripſit adverſus obtrectatores ſui ſtudij librum, in quo oſtendit ſe Origenis ingenium, non fidem ſecutum. Sed Beato Hieronymo magis credendum, qui zelo fidei ſequenti opere illum hæreſis redarguit. Incipit liber S. Hieronymi ad Pammachium contra Ioannem Ieroſolymitanum Epiſcopum & Ruffinum Presbyterum aſſertorem Origenis, in quo Ioannem Epiſcopum tanquam ſectatorem errorum Origenis coarguit: contra quos diſputat, ſeq; de ordinatione ſuorum excuſat: Ioannem incuſat, quod Epiphanio non reſponderit, & Synodo adeſſe noluerit.* Epiſt. 22. *Si juxta Paulum Apoſtolum.* Concordant aliæ impreſſiones Baſileæ an. 1497. apud Nicolaum Keſler. Lugduni an. 1513. apud Nicolaum de Benedictis, caſtigatore M. Ioanne de Gradibus.

6 Item in altera Baſileenſi Ioannis Frobenij 1516. unà cum argumentis & ſcholijs Deſiderij Eraſmi Roterodami, Brugis in noſtro Monaſterio Fratrum B. M. Virg. de Monte Carmelo. Argumentum Epiſtolæ S. Epiphanij: *Epiphanius Epiſcopus Salaminæ Cypri excuſat ſe Ioanni Epiſcopo Ieroſolymitano, quod Presbyterum ordinaſſet in illius Diœceſi, ipſo inconſultò, Deindè commonet, ab Origenis erroribus abſtineat. Hanc Epiſtolam*

Hieronymus in odium Ioannis & Ruffini latinam fecit. Epiſtolæ autem Hyeronymi. *Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus ſuſpectus erat, quod Origenis & Arianorum dogmatibus eſſet infectus. Proinde ab eius communione D. Hieronymus abſtinebat: congregato autem ſuper hac re ſub Epiphanio Monachorum & Presbyterorum Concilio apud Antiochiam, efflagitatus eſt Ioannes, vt ſe purgaret de infamia hæreſeos. Is diu tergiverſatur, tandem miſſo quodam, ſed ſine litteris, magis auxit ſuſpicionem malæ conſcientiæ. Hunc igitur magnâ libertate provocat, vt apertè, aut hæreſim ſuam profiteatur, aut Chriſtianum* (additur in altera ſimili Lugdunenſi Ioannis Creſpini An. 1528. *eſſe ſe declaret) Hac tametſi ſint erudita, tamen abſque dolore legi non poſſunt, inter tantos viros, tantas factionum & ſimultatum turbas incidiſſe.* Tum pro titulo addit Eraſmus. *Hieronymus aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani.* De cætero in vtroque argumento concordat præcitata Lugdunenſis An. 1528.

8 Denique in altera, quam paſſim hodiè omnes ſequuntur, Anthonij Hierat Colon. Agrippinæ (talis etiam datur Pariſienſis 1609. Antuerpienſis &c.) cum argumentis & ſcholijs Victorij Reatini. Argumentum Epiſtolæ Epiphanij, *Epiphanius, Salaminæ Cypri Epiſcopus, & intimus D. Hieronymi, à quo Epiſtola verſa eſt, Amicus, excuſat ſe Ioanni Epiſcopo Ieroſolymitano, quod Presbyterum ordinarit in eius diœceſi, ipſo inconſulto. Deindè, vt ab Origenis erroribus, quos multos interea recenſet, caveat, hortatur. Poſtremò, cur velum ad Eccleſiæ fores pendens, in quo hominis imago depicta erat, ſciderit, rationem reddit.* Epiſtolæ autem Hieronymi. *Ioannes, Epiſcopus Hieroſolymitanus, cùm Origenem ſequeretur, & octo præcipuas eius hæreſes foveret, admonitus primò per Epiſtolam ab Epiphanio, Salaminæ Cypri Epiſcopo eſt. Deindè afflagitante Paleſtinâ totâ, quæ illi non communicabat, cùm tergiverſaretur, & reſpondere quid de fide ſentiret, renueret, vocatuſq; ad Synodum venire contemneret, nuntiumq; abſque litteris, & aliqua ſatisfactione ad eam tantum miſerit, apertè nunc à Divo Hieronymo reprehenditur, & errorum, quos ſpeciatim recenſet, præſertim eius, qui contra reſurrectionem carnis erat, convincitur. Hieronymus adverſus errores Ioannis Hieroſolymitani.* Super his autem

9 Notandum primo: quod quatuor allatæ impreſſiones Epiſtolæ Epiphanij, in hoc de quo infrà, diverſificentur. Nurenbergenſis, & Baſileenſis An. 1497. *Et propter defenſionem hæreſeos me odio* (Moguntinenſis, & Baſileenſis, An. 1516. *adverſum me odia*) *ſuſcitantes rumpitis charitatem, quam in vos habuimus, in tantum vt feceritis nos etiam pœnitentiam agere, quarè vobis communicauerimus. Ità Origenis errores & dogmata defenditis* (Baſileenſis *An.* 1516. *ita Origenis errores & dogmata defendentes.*) *Simpliciter loquor, nos ſecundum quod ſcriptum eſt, nec oculo noſtro parcimus &c.* Hieronymi Epiſtola, ibidē aliter: *propter defenſionem hæreſeos adverſum me odia ſuſcitantes rumpitis charitatem, quam in vobis habui, in tantum vt faceretis nos etiam pœnitere, quarè vobis communicaverimus, ità Origenis errores & dogmata defendentibus. Dic mihi diſputator egregie: de octo Capitulis, ad quæ reſponderis, pauliſper de cæteris tacens.* (Moguntinēſis, Baſileenſis *An.* 1516. & Lugdunenſis 1558. *Pauliſper de cæteris taceo.*) *Prima* &c. Concordant Baſileenſis An. 1497. & Lugdunenſis An. 1513. Iſtius autem ſermonis obſcuritas aperietur *num.* 105.

10 Notandum ſecundò: Petrum Schoiffer, vti antiquiùs, ità veriùs ad Epiſtolam

Iam Epiphanij & Hieronymi addidiſſe argumentum: nam Epiphanius & Hieronymus Ioanni Epiſcopo Ieroſolymitano objecêre quidem dogmata nonnulla Origenis, nondum ab Eccleſia damnata, vt infrà videbimus; ſed hæc fuiſſe Ioannis, nec ſcripſerunt, nec probarunt; licet eum de illis malè fundatâ ſuſpicione, quam Epiphanius primùm induxit, ſuſpectum voluerint, vti infrà probatur hæc autem ſuſpicio, vtpotè in ſuſpectante, toto cœlo diſtinguitur ab erroribus ſuſpecti, vt per ſe manifeſtum eſt.

11 Notandum tertiò: Kobergerium in ſuo argumento, nec conſideratè, nec juſtè, addere. *Sed B. Hieronymo magis credendum, qui ſequenti opere hæreſis illum arguit.* Tum quia ob cauſam adhuc pendentem B. Hieronymus erat jam factus Ioannis inimicus, ſenſu infrà dando, cui hîc proindè credendum non erat. Tum quia de ſola ſuſpicione ipſum arguit, & quidem malè, prout utrumque infrà ex Epiſtolis Epiphanij & Hieronymi ac aliundè palpabiliter monſtratur. Unde melius ſtetiſſet in Argumento Gennadij ſe longè antiquioris & authoritatis majoris.

12 Notandum quartò: Deſiderium Eraſmum Roterodamum addidiſſe Argumentum, non ſolùm Antiquioribus iſtis, ſed & Epiſtolarum textui valdè abſonum: nam Epiphanius dicit *recedat*, ſecundum illud num. cap. 16. *Sequentibus eum Senioribus Iſraël, dixit ad turbam, recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent.* Ipſe verò *abſtineat*, quaſi *tenuiſſet*, quod nec Epiphanius, imò nec Hieronymus, in Ioanne culpat, uti infrà videbimus. Deinde addit primò: *Et Arrianorũ*, quod expreſſiſſimis terminis *ibidem* negat Hieronymus. Secundò: *Proindè* &c. Sed hanc cauſalem fingit, & veram dabimus infrà. Fingit etiam *Concilium fuiſſe celebratum apud Antiochiam, ad quod efflagitatus ſit Ioannes, vt ſe purgaret.* Quia alibi talis Cõcilij, aut Decretorum ejus, non extat memoria. „Neque alibi Hieronymus, pro illo „quidpiam magis indicat, quàm his ver„bis quando per virum diſertiſſimum & „Chriſtianiſſimum Archelaum comitem, „qui ſequeſter patris erat, condictus locus „fœderis fuit; nonne hoc imprimis poſtula„tũ eſt vt futuræ concordiæ iaceret funda„menta pollicitus eſt eſſe ſe venturum. In„ſtabat dies Paſchæ: frequens Monacho„rum turba convenerat: expectabaris in lo„co, quid faceres neſcieras. Repentè man„dari, ægrotare neſcio quam; illo die te „non poſſe venire, &c. Poſt duos ergo „menſes tandem expectatus venit Iſido„rus, qui non vt tu fingis, pro te teſti„monium, ſed cauſam poſtulatæ ſatisfa„ctionis audivit. Cùm enim objiceret „nobis; quare & communicaſtis, ſi hæreti„cus erat? audivit ab omnibus, commu„nicavimus nihil de hæreſi ſuſpicantes. *En cauſam poſtulata ſatisfactionis.* Poſtquam „verò a beato Papa Epiphanio conven„tus, tam ſermone, quàm litteris, reſpon„dere contempſit: auctis Monachis ab „eodem Epiphanio ſcripta venerunt, vt „abſque ſatisfactione fidei, nullus ei te„merè communicaret,„ Hanc cauſam refellemus in *cauſa Chriſtorum Dei* patet autem ibi non fuiſſe, aut Concilium, ſed locum fœderis ac futuræ concordiæ dumtaxat: & ſi fuiſſet, illegitimum & achephalum omninò haberi deberet, uti infrà demonſtratur, utpotè ſibi Ioannem Patriarcham abſque Superiorum ejus authoritate, ſubjiciens. Tertio: *Adverſus errores Ioannis Hieroſolymitani.* Textus autem ſo-

lùm Ioannem arguit ſuſpicionis errorum Origenis, quos ut Origenis recenſet, non vt Ioannis.

13 Notandum quintò: Victorium Reatinum ſuô Argumentô addere. Primò: *ordinarit in ejus diœceſi*; quod expreſſè negat Epiſtola Hieronymi. Secundò: *Cum Origenem ſequeretur, & octo ejus præcipuas hæreſes foveret*: quibus nihil ſimile habet vtriuſque Epiſtolæ textus; ſed *ſolùm ſuſpicionem, quod ſequeretur, quod foveret*, quæ toto cœlo differunt, vt diximus ſuprà. Tertiò; Efflagitante *Palæſtinâ totâ*, &c. Quod omninò fallit, vti infrà patebit. Quartò: *Vocatuſq; ad Synodum*. Sed hanc, aut non fuiſſe, aut nullam fuiſſe, ſtatim notatum eſt. Quintò: *Reprehenditur, convincitur* &c. Injurioſè & fallò additur, uti infra conſtabit. Sexto: *ad verſus errores Ioannis Ieroſolymitani*. Sed hoc ex Eraſmo ſumpſit, & eô alios poſt ipſum fallit. Vide infra *n.* 110.

14 Vnde poſt hos Em. Baronius, Bellarminus, P. M. Chriſtianus Lupus, & ſic plures alij, non ſatis veritatem & textum ponderantes, ſucceſſivè in hiſtoria Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani errârunt: quia Ioannes Ieroſolymitanus Antiſtes 44. ab initio ſæculi quinti (anno circiter 416.) vſque ad initium ſæculi decimi ſexti (An. 1535.) quando Eraſmus Roterodamus cum ſuis *Notis & ſcholiis* Baſileæ opera D. Hieronymi evulgavit, dictus & habitus fuit ut Beatus aut Sanctus (de quo latè in *Monito Chriſtiano an.* 2. *ad* 18. & infrà ſtatim) Eraſmus autem, & Marianus Victorius primi calamum in ipſum ſtrinxerunt (maximè autem Eraſmus perperam & falsò primus præfigens Epiſtolæ S Hieronymi ad Pammachium. *Contra errores Ioannis Ieroſolymitani*, moxque alij nonnulli, abſque indagine errantes, iſtum, tanquam cæci cæcum, ſecuti ſunt) prout rectè notat noſter *Lezana* tom. 3. Annalium ad annum Chriſti 416. n. 10. „Cùm enim, „*Vinquit*, à ZoſimoPapa, D. Auguſtino ſæ„piùs, Luciano Presbytero (quem etiam „alij inter Sanctos annumerant) Idacio „Epiſcopo: Ioanne authore vitæ S. Epi„phanij; Adonis, Galeſini, & Molani Mar„tyrologiis, quæ modò retulimus; Brevia„riis quoque plurimarum Religionum, & „Eccleſiarum Hiſpaniæ, Germaniæ, & „Galliæ, quæ ſuprà num. 1. attulimus, in„numeriſque aliis authoribus, quos, ne „prolixi ſimus, ſolùm confuſim adduxi„mus, Sanctus, vel, Beatus nuncupetur, „adeò ut unô verbô dici poſſit, quod à „quinto ſæculo, in quo diem clauſit extre„mum, uſque ad noviſſimum, in quo Deſi„derius Eraſmus, Marianus Victorius, „gloſſas ſeu Notas edentes ad opera D. „Hieronymi, neque tamen ſupra modum „periti Eccleſiaſticarum rerum, primi no„men ipſius commacularunt, ſemper ut „Sanctus habitus fuerit, non obſtantibus „controverſiis ipſius cum Hieronymo & „Epiphanio (videtur illi negari non poſſe „genus illud Canonizationis antiquum „ſatis in Eccleſia) quod vel Epiſcoporum „conſenſu, vel Chriſtiani populi receptâ „traditione fiebat, prout optimæ notæ „Theologi, Waldenſis noſter, Cardinalis „Bellarminus, & alij doctiſſimi ſuis ſcri„ptis conſignarunt.„

15 Sed: cur, inquies, Deſiderius Eraſmus, & poſt illum Marianus Victorius, tam malitioſè Titulum iſtum *adverſus errores Ioannis Hieroſolymitani* addiſſet.

16 Reſpondeo: Additionis malitioſæ has rationes potuiſſe ſubeſſe. Primò; ut ſuam pravam in fide politiam SS. Patrum

inſidiis

inſidijs minùs odioſam redderet. Secundò: ut ſpiritu privatô, quô ducebatur, ſanctis Patribus in Fidei diverſa abeuntibus, liberiùs ſe volueret, quò inquietus vellet; nam uti rectè Auguſtinus Epiſt. 119. *Animoſitas Hæreticorum ſemper inquieta eſt.* Tertiò: ut ſe fraudulenter in Carmelita Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano vindicaret de R. P. M. de Egmunda, cognomentô Baechem, inſtituto per Carolum quintum Imperatorem Inquiſitore hæreticæ pravitatis per Belgium, qui referente Antoniô Sanderô in *Chorographia Sacra* Brabantiæ, *titulo* Carmelûs Mechlinienſis, *Iacobum præpoſiti ad hæreſum ſuarum palinodiam corā Imperatore in templo S. Gudulæ Bruxellis compulit.* Et inter alios faſtis Academicis Studij generalis Lovanienſis, ità inſcribitur. *Nicolaus de Egmunda, cognomentô Baechem, Carmelitani Ordinis, primus in Schola Artium anno* CIↃ. CCCC. XCI. *Vir fuit ingeniô acri, hæreſeſq; tunc pullulantes, & novas Eraſmi doctrinas, cùm in ſcholis, tum in templis publicè inſectatus fuit vehementiùs. Unde in Epiſtolis Eraſmianis tot paſſim in eum querimoniæ & invectivæ; mortuoq; Deſiderius liberiore linguâ carmen hoc rependit:*

Hic jacet Egmundus, *telluris inutile pondus:*
Dilexit rabiem, non habeat requiem.

17 *Obiit Lovanij* CIↃ. IↃ. XXVI. *die XXIV. Auguſti, ſepultus Mechliniæ in loco capitulari ſui Conventus.* Quartò ità ibi ſcribit, ut ſuas fraudes palliet; ſed pallio ſuâ verſatili fide ſatis attrito.

PRÆAMBULUM SECUNDUM.

18 Diximus *Præambulô primô*: nos proceſſuros ſecundum litteras SS. Hieronymi & Epiphanij, præſcindendo ab Argumentis eiſdem præfixis, &c. Nunc verò addimus: etiam præſcindendo à veritate & ſuppoſitione iſtarum litterarum de qua ſpecialiter agemus in *cauſa Chriſtorum Dei à n.* 15. *ad* 46. & infrà compendioſè *n.* 50. *&* 51. tum ut plenius Joannem 44. purgemus: tum ne videamur Joannis 44. ab Origeniſmo immunitatem tueri negatione ſuppoſiti communiter recepti, quod Epiſtola 61. Hieronymi ad Pammachium (cujus argumenta verè non eſſe Hieronymi, ſed ab alijs Hieronymo ſuppoſita, evidens eſt ex *Præambulo primo*) verè ſit Hieronymi: nam illam eſſe ab altero ſuppoſitam Hieronymo multa ſuadent.

19 Primò: præfatio Petri Schoiffer, de quo *Præambulô primô*, junctis incongruitatibus ex Epiſtolæ textu ſtatim deducendis. Ubi hæc leguntur, ,, Illud tamen
,,legentes admonuiſſe velim, Joannem
,,Andream Juris civilis Pontificijque pe-
,,ritiſſimum, ac B. Hieronymi ſtudioſiſ-
,,ſimum, magna cum diligentia ubique
,,ejuſdem Epiſtolas quæſiſſe, & in ſuum
,,Hieronymum, tanquam in unum cor-
,,pus, coëgiſſe quæſitas. In qua re tanto ex-
,,tollendi Hieronymiani nominis ardore
,,flagravit, vt quaſcumque Epiſtolas inve-
,,nerit, quæ Hieronymi eſſe dicerentur,
,,nullô medicô adhibitô ſtyli caracteriſ-
,,que dicendi, omnes Hieronymianis inter
,,veras ipſius Epiſtolas annumeraverit. *Et*
,,*infrà*, In idem Epiſtolarū volumen conje-
,,cit circiter quinque & triginta prologos

„librorum Opuſculorumque, in quibus „Hieronymus ſacra ſcripta declarat. *Ite-„rum infrà*. Demum ne Venerabilis P. „Guidonis Chartuſienſis videamur igna-„ri, qui ſuis ſcriptis Ioannem Andream „carpit, quod nonnullas Epiſtolas litteris „Hieronymi inſeruerit non ſuas, & ſtyli „diſcrepantia rejiciendas. Nos concede-„mus unicumque cum Apoſtolo, ut in „ſuo ſenſu abundet, ſtylique judicium illis „relinquentes, qui ſoliti ſunt ſic de viro, „ità & de ingenijs diſputare, eas Epiſto-„las, quas Joannes Andreas immiſcuit „concordantibus exemplaribus peranti-„quis cenſuimus huic etiam noſtro volu-„mini adjiciendos.„ Prædeceſſores verò Joannis Andreæ, uti Joannem Andream, Epiſtolis Hieronymi hanc inſeruiſſe non ſuam, & ſic ſucceſſivè de horum ſucceſſoribus, ſequentia ſuadent.

20 Secundò. Inter ſagittas, quibus in Epiſtola Hieronymi Joannes confodi dicitur, hæc eſt octava. *Imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam homo conditus fuerat, dicit ab eo perditam, & in homine poſt paradiſum non fuiſſe.* Si autem hâc ſagittâ confodiatur Joannes, unà cum illo omnes Catholici & Apoſtolus ipſe confoditur. Tu verò perpende. *Primò*: an Hieronymus iſtâ ſagittâ hos omnes confodere voluerit. *Secundò*: ân alibi iſtam doctrinam ut hæreticam refellat: certè locum non reperies. Igitur non eſt Hieronymi.

21 Tertiò. Epiſtola Hieronymi figmento Joannis 44. tribuit, quod velit Origenem dixiſſe, ex Angelis animas fieri, & docet Origenem nunquam id dixiſſe, his verbis. *Noli diſſimulare, quod noſti, nec ſimplicitate, quod non habes, fingere: nec Origenes unquam dixit ex Angelis animas fieri; cùm ipſos Angelos nomen eſſe officij doceat, non naturæ.* Accipe oppoſitum ex ipſomet vero Hieronymo in Epiſtola *ad Avitum*, in qua inter errores *Periarchon Origenis* hunc recenſet, *mens corruens facta eſt anima. Anima inſtructa virtutibus mens fiet. Angelum, animam, & dæmonem eſſe unius naturæ, non mutari eos ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſtatum.* Et Apologiæ 1. lib. 1. *Sicut multum intereſt de Angelis, & Seraphim, & Cherubim dicere dæmones & homines fieri; quod affirmat Origenes.* Item, *Quæ ſunt ergo duæ hæreſes? Vna, quæ dicit omnes rationabiles creaturas, in Angelos reformari.* Denique inter illos *Apolog. lib. 2.* hunc etiam recenſet, *Angelos verſos in animas hominum.* Unde Joannes illud non finxit, niſi hæc finxerit Hieronymus, & ſi hæc non finxit Hieronymus, iſtud fragmentum Epiſtolæ non eſt Hieronymi: niſi hunc mendacem, aut ſui in re tanti momenti oblitum dicere præſumas.

22 Quartò. Epiſtola Hieronymi hæc habet: *Reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.* Quô ſibi contradiceret *Apologia lib. 2.* & in *Epiſt. ad Pammachium & Marcellam*, Theophilum Patriarcham Alexandrinum & Summi Pontificis Vicarium facienti *Orientalium* Anteſignanum: & in quadam Epiſtola ad Theophilum, hunc laudat, *quod per Priſcum & Eubulum Palæſtinæ regiones luſtraverit, & diſperſos Regulos uſque ad ſuas latebras perſecutus fuerit.* Quis autem talem in Hieronymo contradictionem fateatur?

23 Quintò. Rationes temporis, quæ in Epiſtola iſta tanguntur, à veritate aberrare, probat etiam ex ipſo Hieronymo P. Waſtelius *Vindic. oper. Ioan. Ieroſol. lib. 3. art. 2. §. 2.*

24 Sextò.

24 Sextò. *Habes*, inquit Epiſtola, *Epiphanium Papam, qui te apertè miſſis literis hæreticum vocat.* Hoc eſſe apertè falſum probamus infrà in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 67. *& ſeq.*

25 Septimò. Epiſtola iſta octo Capitula Origenis objicit Ioanni 44. his verbis *octo tibi de ſpe fidei Chriſtianæ quæſtionum capita objecta ſunt*, &c. *Hæ ſunt*, addit, *ſagittæ, quibus confoderis: hæc tela, quibus in tota Epiſtola vulneraris.* Iſta autem octo Epiphanium non objeciſſe Ioanni 44. manifeſtum eſt ex Epiſtola Epiphanij ad Ioannem 44. uti ex profeſſo probabimus in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 17. *ad* 31. In ea quidem dicitur: *propter defenſionem hæreſeos*, &c. Sed *ibidem* probabimus, ibi ſermonem ad Ioannem Ieroſolymitanum non dirigi, ſed ad Ruffinum & Palladium origeniſtas, hosque aliunde quàm ex iſtis *octo capitibus*, dici defenſores hæreſeos, videlicet ex laudato Origene: nã *defenſor hæreſeos*, aliundè & ex paucioribus quiſpiam eſſe poteſt, uti ſimiliter manifeſtum eſt. Vide *præambulum præcedens num.* 9. Et infrà *cauſam Chriſt. Dei.*

26 Octavò. Ex dicendis in *cauſa Chriſtorum Dei* judicabis indubiè, prudenter præſumi non poſſe S. Hieronymum, ſimplicem presbyterum, ſuum Epiſcopum & Patriarcham tam indignè tractaſſe, præſertim ſi hæc verba; „quæ hæc eſt tanta arro„gantia non reſpondere de fide interrogã„tibus. *Et infrà* tu faſtidioſus Antiſtes. *I„tem* niſi ille Iſidorus promiſſum apportaſ„ſet auxilium, hæreſes in turba ruſticorum, „quæ ſapientiam tuam intelligere non „poſſet attendas. *vide n.* 92. „Ubi adverte apertis verbis derideri Em. Patriarchã. Iſidorum verò prebyterum de occultis criminibus infamari his verbis, *pone verum eſſe, quod dicis propter unius mulierculæ delicias, ne te abſente doleat caput, faſtidium ſuſtineat, ſtomacho perfrigeſcat, Eccleſia cauſam negligit?* Vide infrà num. 77.

27 Nonò. Reflecte ad hæc verba Epiſtolæ: „Aut ſi locutus eſt talia, cũ damna, qui „dixerit: dic ſtatim & hoc Epiſtola tua ha„beat exordium: anathema ei, qui talia au„ſus eſt ſcribere. Ego ſi patrem, ſi matrem, „ſi hermanum adverſum Chriſtum meum „audiviſſem iſta dicentes, quaſi rabidi canis „blaſphemantia ora laceraſſem, & fuiſſet in„primis manus mea ſuper eos. *Et confer cũ* „*eo, quod poſtrà ſcripſit in Epiſtola ad ipſum* „*Pammachium & Oceanum*, Ego ipſe, ſi ma„lo animo fuiſſem erga Origenem, inter„pretatus eſſem hos ipſos, quos ſuprà dixi, „libros, ut mala ejus etiam Latinis nota fa„cerem, ſed nunquam feci, & multis rogan„tibus acquiſcere nolui. Non enim conſue„vi eorũ inſultare erroribus, quorum miror „ingenia, „ (*plura de his infrà.*) Hæc omnia inter ſe non ſolùm repugnant; ſed & naturæ rationali, quod obindè ipſe filius abſque ulla authoritate judicis, patrem & matrem laceraſſet, &c. quæ an tribui debeant D. Hieronymo, judicent Sancticoli.

28 Decimò. Accipe in eadẽ Epiſtola notabilem diſcurſus mutationem inter dictũ Ioannis 44. & relationem ejuſdem dicti. „Cùm inquit, & nos quâdam die ante eum „locuti eſſemus, & præſẽs lectio provocaſ„ſet, audiente illô & univerſâ Eccleſiâ, de „fide, & omnibus Eccleſiaſticis dogmati„bus hæc locuti ſumus, quæ & ſemper gra„tia Dei indeſinenter in Eccleſia docemus „& in Catecheſibus. *Statim ſequitur*, dicis „te quâdam die cùm præſens lectio pro„vocaſſet, audiente illo & univerſâ Eccleſiâ „de fide & omnibus Eccleſiaſticis dogmati„bus diſputaſſe. „Quis, obſecro, credat Hieronymum, eloqui ſeu *declarare Eccleſiaſtica*

dogmata, velle eſſe idem, quod *de Eccleſiaſticis dogmatibus diſputare*? Et è contra. Tædet omnes Epiſtolæ locutiones S. Hieronymo incongruas recenſere. Vide, vt dixi, quæ infra in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 35. *ad* 40. ſubjicimus, & R. P. M. Waſtelium *locò ſuprà citatò*, ubi pluribus ſolidis rationibus probat, Epiſtolam iſtam eſſe à quodam Ioannis adverſario ſuppoſitam, & ità ſenſiſſe authores pleroſque infrà citatos *ſupp.* 4. *Præamb.* 3. ac ipſos SS. Pontifices, Siricium infrà citandum & Anaſtaſium nu. 31. omninò præſumendum eſt.

29 Undecimò: Omittere non poſſum hanc Epiſtolæ, indignam prorſus Hieronymo, Epiphanij excuſationem. *Reverà cui* (ſcilicèt Epiphanio) *tantum honoris detuleras* (ſcilicet tu Ioannes) *juſtum erat, ut tua præſertim extemporalia dicta* (puta *quæ per quadraginta dies tradere ſolebas in Eccleſia baptizādis*, & *ſub unius* horaneæ *lectionis occaſione perſtrinxeris*) *laudaret. Quia verò ſolent interdum homines laudare, quod non probant, & alienam ſtultitiam caſu nutrire præconijs, non ſolùm tua dicta laudavit, & miratus eſt, & ne miraculum quoque parvum eſſet, catholicæ eſſe fidei omni populo declaravit.* Vel enim Epiphanius laudavit errores in fide Ioannis 44. hoſq; Catholicæ eſſe fidei omni populo declaravit? vel Epiphanius laudavit veritates in fide Ioannis 44. anteà malè ſuſpectas. Si prius, teſte Epiſtolâ, S. Epiphanius *errores in fide laudavit, & caſu nutrivit præconijs, & catholicæ eſſe fidei omni populo declaravit.* Quis hoc de S. Epiphanio credat? Quis hoc de S. Epiphanio ſenſiſſe S. Hieronymũ, aut tantum nefas ab Epiphanio commiſſum excuſaſſe & non increpaſſe, diſſimulaſſe & non coram omni populo, quem in errores contra fidem induxiſſet, retractandũ arguiſſe, ſibi perſuadeat? Igitur Epiſtola illa non poteſt eſſe S. Hieronymi, neque tam indigna excuſatio tanto Doctori tribui poteſt, niſi probetur eum alibi ſcripſiſſe, *errores in fide laudare, & catholica eſſe fidei omni populo declarare*, licitum. Nuſquàm certè id ſcribit: & ſi id ſcriberet, nullam fidem mereretur, utpotè virtualiter ſcribens, licere per ſimiles laudes & declarationes totum populum in errores fidei inducere. Si poſterius: incongruè valdè ſtatim ſubdit Epiſtola, *Hæc quàm verè dixerit* Epiphanius, *& nos teſtes ſumus, qui audivimus, ad quos tuis vocibus perturbatus venit exanimis, temerè ſe communicaſſe dicens.* Nam hæc verba inſinuant Epiphanium in iſta laude, præconio & declaratione, eſſe contra fidem mentitum, & illud prius, quod nec S. Epiphanio, nec S. Hieronymo, prudenter tribui poteſt, ut vidimus, confirmat: unde etiam hæc ultima periodus Sapientiæ & Sanctitati utriuſque, haud minus quàm tale contra fidem publicum mendacium, repugnat: ſed de his plura in *cauſa Chriſtorum Dei*, ex qua conſtabit, ipsô fatente Hieronymo, Epiſtolæ Epiphanij tranſlationem de Græco in Latinum fuiſſe in publicis concionibus falſificationis redargutam; imò aut Epiſtolam iſtam ac Hieronymi ad Pammachium 61. fuiſſe à quodam malevolo in odium Ioannis 44. notabiliter corruptam: aut in illis ſermonem ad alios, quàm Ioannem 44. dirigi, dum errores Origenis objiciunt. Primò: quia Ioannes 44. paulò infrà n. 31. ſuprà modum laudatur, & commendatur ab ipſomet Anaſtaſio Papa ipſius Synchrono, uti & omiſſis alijs citandis n. 50. ab ipsô Theodoreto, authore antiquiſſimo. Hiſtor. Eccleſiaſticæ lib. 5. cap. 35. Ubi ſic: *Erat tum Epiſcopus Alexandriæ Cyrillus, Theophyli fratris filius, qui ſucceſſerat in*

in Præſulatu Patruo. Ieroſolymis verò præerat Ioannes vir admiratione dignus. Secundò: quia Epiſtolæ Hieronymi ab eo ante mortem collectæ non leguntur, ſed ab alijs poſt mortem ipſi adſcriptæ, quæ Hieronymi videbantur, & hæc inter cæteras vide præmiſſi *n.* 19.

30 Concludes ex præmiſſis: illud Gelaſij Papæ, relatum *diſt.* 15. cap. S. Romana. *Item Ruffinus, vir religioſus, plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus eſt. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notavit: illa ſentimus, quæ Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus: & non ſolùm de Ruffino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpiùs memoratus Zelò Dei & fidei religione reprehendit.* Contra Ioannem 44. ob iſtam Epiſtolam *ad Pammachium adverſus errores Ioannis,* nihil evincere. *Primò*: quia dum, illam non eſſe Hieronymi, ſufficienter probamus ex præmiſſis de quo plura in *cauſa Chriſtorum Dei* n. 31. ad 46. conſequenter probatum manet, Ioannis 44. in illa reprehenſionem non eſſe Hieronymi. *Secundò*: ſi Epiſtola illa eſſet Hieronymi, Gelaſius Papa ſentiret cum Hieronymo; imprimis, confodiendum illum, qui dixerit: *Imaginem & ſimilitudinem Dei ad quam homo conditus fuerat, ab eo perditam, & in homine poſt paradiſum non fuiſſe.* Iuxta dicta *num.* 20. Deinde: Ioannem reprehendendum de dicto ſuo evidenter vero, uti illa Epiſtola ipſum de illo reprehendit, juxta dicta *num.* 21. Item: Ioannem reprehendendum de hæreſi ſecundùm Epiſtolam Epiphanij, quod de hac mendaciter ſentit illa Epiſtola, juxta dicta *num.* 25. Item: Patriarcham poſſe apertè à ſuo ſubdito derideri, proximum de occultis criminibus infamari &c. prout fit in Epiſtola, juxta dicta *num.* 26. Item: ſentiret patris, matris, germani, &c. quaſi rabidi canis blaſphemantia ora eſſe privatâ authoritate laceranda, &c. prout Epiſtola. Vide dicta *num:* 27. Item: ſentiret, Ioannem reprehendendum in eo, in quo Epiphanius ipſum laudavit, & Catholicæ eſſe fidei coram omni populo declaravit, de quo Epiſtola illum reprehendit, juxta dicta *num.* 29. Item: ſimplicem Presbyterum poſſe ſuum Patriarcham criminari, eo quod ſuæ fidei rationem ei reddere renuat, quod in tota Epiſtola fit. Vide infra *num.* 94. & *num.* 100. & ſic de multis alijs, in quibus illa Epiſtola exorbitat. *Tertiò*, hæc verba Gelaſij, *ſentimus, quæ Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus de univerſis, quos vir ſæpiùs memoratus Zelo Dei & fidei religione reprehendit.* Includunt certam cognitionem ſenſus Hieronymi, quæ per iſtam Epiſtolam, Hieronymo malitioſè ſuppoſitam, haberi non poteſt, ut patet: nec intelligi poſſunt de reprehenſione ex frivola, & malè fundata ſuſpicione, ut patet; talem autem fuiſſe de Ioanne 44. efficaciter infrà præſim in *cauſa Chriſtorum Dei* n. 15. ad 46. ex iſta, & alia Epiphanij Epiſtola probamus: licèt tamen fuiſſet Ioannis 44. ab Hieronymo benè fundata reprehenſio, à Gelaſio non extenditur ad tempus poſterius, quo Ioannes 44. ſe coram Superioribus ab illa purgavit quo Hieronymus ſe Ioan. 44. tanquam proprio Epiſcopo & Patriachæ de novo ſubjecit, & uti cæteris Sanctis poſtmodum communicavit, prout purgaſſe, ſubjeciſſe & communicaſſe infrà evincitur. Item: intelligi debent de reprehenſione ex Zelo Dei, & fidei religione: tale autem non fuiſſe iſtuſmodi reprehenſionis motivum, ſed ordinationem Pauliniani fratris germani

germani S. Hieronymi, infrà præſertim in *cauſa Chriſtorum Dei* locô ſupra citatô ad oculum demonſtratur: hanc enim Joannes 44. utpotè ſui ſubditi, & veroſimiliter in ſuaDiœceſi ab Epipahanio contra Sacros Canones, uti infrà *num.* 52. patebit, factam, egerrimè, & meritò, ferebat Joannes, & deſuper eſt apud Theophilum Alexandriæ Patriarcham, & obindè Summi Pontificis Vicarium, contra Epiphanium & Hieronymum, ejus in eo defenſorem, conquæſtus; qui pro Joanne ſententiam tulit, & Hieronymum reprehendit, ut patet ex Epiſtola ſecunda Hieronymi ad Theophilum, *Quod de Canonibus Eccleſiaſticis mones, gratias agimus. Quem enim diligit Dominus, corripit, & flagellat omnem filium, quem recipit.* Cui ſententiæ Hieronymus ſtatim acquievit, uti infrà videbimus, & Joanni, ac Ruffino ei familiari, in Epiphanij & iſta Hieronymi Epiſtola etiam impetito, plenè reconciliatus eſt, ut patet ex Epiſtola Hieronymi ad Ruffinum, *Conſcientia noſtra teſtis eſt Dominus, poſt reconciliatas amicitias, nullum intercesſiſſe rancorem, quô quempiam læderemus, quem potiùs cum omni cautione providimus, nè ſaltem caſus in malevolentiam verteretur.* Et Apologiæ 1. lib. primo. *Et ideò in concordiam redivimus.* Apologia ſecunda. *Pacem dedimus, junximus dextras, abeuntes proſecuti ſumus.* Imò ità reconciliatus eſt Joanni, ut ipſe, in cauſa ſuſcepti à Joanne 44. cujuſdam à Theophilo expulſi, ad Theophilum in favorem Joannis hæc ſcripſerit, *ſuper ſuſceptione cujuſdam non debes contra hujus Urbis ſuccenſere Pontificem; quia nihil in tuis litteris percepit, & temerarium fuit, de eo, quod neſciebat, ferre ſententiam: tamen reor illum, nec audere, nec velle te in aliquo lædere.* Etenim noverat Hieronymus Joannem Chryſoſtomum graviſſimas à Theophilo perſecutiones pati, ob ſolitarios, quos expulerat, ab eo ſuſceptos, ut benè oſtendit nuperrimè D. Menartius S. Theologiæ Doctor in vita Joannis Chryſoſtomi ann. 1664. Pariſijs Gallicè impreſſa. Et ut pateat, perſeverantem fuiſſe reconciliationem, Hieronymus Joannem, annô circiter ſeptimô poſt controverſiam inter ſe & ipſum habitam, ad funus S. Paulæ in ſuo Monaſterio Bethlehemitico defunctæ invitavit; & de ejus præſentia gloriatus eſt, in S. Paulæ vita ſcribens, *aderant Ieroſolymarum & aliarum Urbium Epiſcopi.*

31 Ut tamen evidentiùs pateat Joannem 44. non obſtante iſtâ controverſiâ ſemper fuiſſe Romæ integræ fidei habitum, ſufficit, quod ipſe Ruffinus in Apologia pro fide ſua ad Anaſtaſium Papam, Syricij, poſt illam extinctam controverſiam & Hieronymi cum Joanne reconciliationem, in Pontificatu, adhuc vivente Joanne, ſucceſſorem, ità ſcribat, *Ego enim præter hanc fidem, quam ſuprà expoſui, id eſt quam Romana Eccleſia, & Alexandrina, & Aquileienſis noſtra tenet, quaque Hieroſolymis prædicatur, alienam, nec habui umquam in iſto homine, nec habeo.* Quomodò in ipſa urbe Romana proœmio Apologiæ S. Pamphili Martyris ſuam fidem à Ioanne 44. quem *ſanctum Sacerdotem* nominat, commendans præmiſerat, *Hæc in Ieroſolymis in Eccleſia Dei à ſancto Sacerdote ejus Ioanne prædicantur, hæc nos cum ipſo & dicimus & tenemus.* Quomodò etiam Auguſtinus lib. 2. contra litt. Petil. cap. 51. quinque circiter annis poſt dictam controverſiam, *Cathedra tibi quid fecit Eccleſia Romana, in qua Petrus ſedit, & in qua hodiè Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſia Hieroſolymitana, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodiè Ioannes ſedet* (nota quid tibi fecit:

ſecit: ergo Ioannes in illa *ante* ex Augu-
ſtini ſententia non defecit, *) quibus nos in
inCatholica veritate connectimur, & à quibus
vos neſariò favore ſeparaſtis.* Niſi profectò
Ioannis 44. fides incontaminata fuiſſet,
non ſolùm ſic Auguſtinus non ſcripſiſſet;
ſed nec Ruffinus Romæ, & in Apologia
ad Anaſtaſium Pontificem Romanum, au-
ſus fuiſſet appellare ad fidem Ioannis 44.
niſi ſciviſſent Ioannis 44. fidem eſſe Ro-
mæ & Anaſtaſio Pontifici Romano valdè
commendatam, prout reverà fuiſſe liquidò
conſtat ex Epiſtola ejuſdem Anaſtaſij ad
Ioannem 44. poſt mortem Syricij, ſub
quo dicta controverſia extincta fuerat: ſic
enim habet. „Probatæ quidem affectionis
„eſt hoc, ut laudabiliter de Sacerdote Sa-
„cerdos loquaris. Pro tanto igitur præco-
„nio, quod in merita mea effuſiſſimè con-
„tuliſti, ut amori tuo gratias ago, ità
„ſplendorem tuæ ſanctitatis (*nota*) & eas,
„quas in Domino habes virtutes (*nota*)
„ſubindè quodammodò parvitatis noſtræ
„favorabilis ſermo proſequitur. Tam emi-
„nenter vir omnium præſtantiſſime, lau-
„dum tuarũ fulges nitore conſpicuus (*ite-
„rùm nota*) ut par eſſe meritis ſermo non
„poſſit. Portò autem tanto titulorum
„tuorum rapior incitamento, ut etiam
„quod impetrare nequeo, audere non de-
„ſinam. Iam hoc de laudibus eſt tuis, quod
„me tantum de cæleſtis animi iſtius ſe-
„renitate laudaſti. Tui enim Epiſcopatus
„ordo perſpicuus per univerſum orbem
„velut radians (*an hoc & iſta diceret de
„Epiſcopo ſuſpecta fidei?*) etiam ad nos
„ſplendoris ſui detulit claritatem. In me
„quippè totum amicitiæ tribuis, exami-
„ni nihil relinquis. Aut ſi jure me laudas;
„tu quoque ſimiliter relaudandus non es?
„Obſecro igitur ob utrumque, ut me-
„metipſum laudare jam deſinas. Duplex
„enim cauſa me hoc poſcere conſtringit,
„ne conſacerdotis tui ſenſibus, ut dolo-
„rem falſa laus ingerat, aut pudorem vera
„ſuccendat. Sed ad cauſam revertar. Ruffi-
„nus, de quo me conſulere dignatus es,
„conſcientiæ ſuæ habet arbitrum divinam
„Majeſtatem: apud quam ſe integrô de-
„votionis officiô ipſe viderit, qualiter de-
„beat approbare. Origenes autem, cujus
„in noſtram linguam compoſita deriva-
„vit, antè quis fuerit, in quæ proceſſerit
„verba noſtrorum propoſitum neſcivit.
„Quod verò ſit animi mei ſtudium, cùm
„tua pauliſper hoc conferam ſanctitate,„
(*numquid hæc Summi Pontificis facta, litteris
expreſſis de Origeniſmo Ruffini, cum Ioanne
44. ſub titulo* Sanctitatis *collatio, hujus ab
Origeniſmo immunitatem & vita ſanctitatem
aliundè ſatis evictam irrefragabiliter confir-
mat?*) „Hoc igitur mente concepi: quod
„qui Urbis noſtræ populis de tranſlata
„Origenis lectione patefecit, quandam
„puris mentibus velut nebulam excitans
„injectam, fidem Apoſtolorum majorum
„traditione firmatam, velut devijs anfra-
„ctibus illum voluiſſe diſſolvere. Diſcere
„hôc locô libet quid agat in Romanam lin-
„guam iſta tranſlatio. Approbo, ſi accuſat
„auctorem, & execrandum factum popu-
„lis prodit: ut juſtis tandem odijs habea-
„tur, quæ jamdudum fama conſtrinxe-
„rat.„ Quid illuſtrius, non obſtante dictâ
controverſiâ, pro fidei Joannis integrita-
te, quàm ipſum, poſt tot & tantas Sancti-
tatis commendationes, ab ipſo Summo
Pontifice conſuli in cauſâ, in qua malè ab
Epiphanio ſuſpectus fuerat? Tamen non
ſolùm ab Auguſtino ibi, & infrà *Suppoſ.*
4. ac Anaſtaſio Papa integræ fidei & San-
ctitatis habebatur, ſed paſſim talis reputa-

batur, uti etiam patet ex Epiſtola reconciliativa Hieronymi infrà in *corp. Appen.* citata,& altera ſanctiſſimi æquè ac doctiſſimi Paulini, Nolæ propè Neapolim Epiſcopi, Epiſtola 11. ad Severum Sulpitium Joannis 44. Synchronum: *Partem particula de ligno divina Crucis, quod nobis bonum benedicta Malania ab Hieruſalem munere ſancti inde Epiſcopi Ioannis attulit.*

PRÆAMBULUM TERTIUM,

ET SUPPOSITUM PRIMUM.

32 Suppono primò: poſt Auguſtinum Barboſam, *de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 1. tit. 2. cap. num. 1.* Jeroſolymam fuiſſe ad opus noſtræ ſalutis & redemptionis electam, ut teſtatur *Hiſtoria Evangelica*: dictam Regis magi Civitatem *Matth.* 5. ab ipſis Turcis Urbem ſacram vocari, divinam ac ſanctæ Reſurrectionis, in *Iuſtiniani Novellis* 40. & 123. Hincque tantam fuiſſe Jeroſolymitanæ Eccleſiæ dignitatem, quod olim aliarum Eccleſiarum Mater fuerit appellata, ut qui illam regeret, omnes Eccleſias regere videretur: quod non obſcurè ſentit S. Clemens Papa in Epiſtolæ *ad Iacobum fratrem Domini* inſcriptione, ſub illis verbis: *Epiſcopo Epiſcoporum, regenti Hebræorum ſanctam Eccleſiam Hieroſolymis, ſed & omnes Eccleſias, quæ ubique Dei providentiâ fundatæ ſunt.* Et expreſsè habetur *in Epiſt. Conſtantinopolitani Concilij ad Damaſum Papam, & Romanum Concilium*, in verſ. *in ea verò Eccleſia*, ubi Hieroſolyma Mater Eccleſiarum appellatur, quæ refertur *tom. 1. Concil pag.* 732. *col.* 2. Et à pluribus citatur, nominatim à Greg. Nonio Coronel. *de optimo Reip. ſtatu p. 1. lib. 3. c. 4.* quibus concordat Juſtinian. Imper. in Epiſtola *ad Hormiſdam Papam* incip. *Quod fuimus*, *circa finem* in illis verbis: *Et Hieroſolymitanam præcipuè, cui tantum omnes favorem impendunt quaſi matri Chriſtiani nominis, ut nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere.* Habetur *tom. 2. Conciliorum pag.* 516. Imò Tertullian. *lib. 4. adverſus Marcionem*, Hieroſolymitanam Eccleſiam Matrem Religionis appellat, ut refert *Cov. pract. cap.* 19. Cujus primus Epiſcopus fuit S. Jacobus frater Domini, & poſt eum Simon frater etiam ipſius Domini. *Ità ferè ille.*

SECUNDUM.

33 Suppono ſecundò. *Patriacha* titulū eſſe in Eccleſia Romana valdè antiquum. Ut patet ex Epiſtola prima Clementis Papæ I. ad Jacobum fratrem Domini. „In illis verò Civitatibus, in quibus olim „apud Ethnicos Archi-flamines eorum at„que primi legis Doctores erant, Epiſcopo„rum Primates poni, vel Patriarchas, qui „reliquorum Epiſcoporum judicia, & ma„jora (quoties neceſſe foret) negotia in fide „agitarent, & ſecundùm Dei voluntatem, „ſicut conſtituerunt ſancti Apoſtoli, ita ut „ne quis dudū apud prædictos erāt Archi„flamines: quos tamen minoris tenebant, „quàm memoratos Primates; Archiepiſco„pos inſtitui præcepit, qui non tantùm Pri„matum, ſed Archiepiſcoporum fruerentur „nomine. Epiſcoporum quoque judicia (ut „ſuperiùs memoratum eſt) & majora Ec„cleſiarum negotia, ſi ipſi reclamaverint,

„aut aliquem timorem, aut iſtos vel alios „ſuſpectos habuerint ad jam dictos Primates vel Patriarchas, ne aliquis nocenter „periret, transferri perdocuit. In ſingulis „verò reliquis Civitatibus ſingulos, & „non binos, vel ternos, aut plures, Epiſcopos conſtitui præcipit, qui non Primatũ, „aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine; quia Matres Civitatum „non tenent; ſed Epiſcoporum tantũ vocabulo potirentur; quoniam nec inter ipſos Apoſtolos par inſtitutio fuit, ſed unus „omnibus præfuit.„ Undè non obſcurè, attẽtis præmiſſis *ſuppoſitò primò*, infertur Jacobum fratrem Domini fuiſſe Patriarcham Jeroſolymitanum, & hinc Joannẽ, de quo in quæſtione, paſſim vocari 44. Patriarchã Jeroſolymitanum, præſertim cùm in decretis Aniceti Papæ, ex Pontificali Damaſi Papæ legamus: *Nulli Archiepiſcopi Primates vocentur, niſi illi, qui primas tenent Civitates, quarũ Epiſcopos Apoſtoli & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter Patriarchas & Primates eſſe conſtituerunt; niſi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſè ſit, propter multitudinem eorum, Primatem conſtitui. Reliqui verò, qui alias Metropolitanas Sedes adepti ſunt, non Primates, ſed Metropolitani vocentur.*

Neque reverà in tali nominatione apparet magnum myſterium: nam actorum 7. per Patriarchas intelliguntur Principes familiarum; in propoſito Principes Sacerdotum iſtius Regionis, cujus Principes Sacerdotum dicuntur, uti colligitur ex Epiſtola 54. Hieronymi, *Cataphryges primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas habebant, ſecundos quos appellabant Cenones, vt ita in tertium, id eſt penè vltimum locum Epiſcopi devolverentur.* Tales autem fuiſſe Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, qui Romanam, Alexandrinam, Antiochenam & Ieroſolymitanam, apud omnes indubitatum eſt quidquid nomine aut nominatione ſit; nam, ut rectè, S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium, *Nec enim natura rerum nomina ſequitur, ſed poſteriora rebus nomina inventa ſunt.* Et Chryſoſtomus in orat. ad Nicomed. 38. *Neque enim nomina fidem adferunt rebus, ſed res nominibus.* Ratio clara eſt: quia nomen Trinitas pro tribus Perſonis divinis, *Ingenitus* pro Patre, *Conſubſtantialis* pro Filio, in S. Scriptura non legitur, & tamen ſemper rem ſignificatam præſuppoſuit.

TERTIUM.

34 Suppono tertiò. In præfatione ad Nicænum 1. Concilium Generale, ſic prælectum: „Prima ergo Sedes „eſt cæleſti beneficio Romana Eccleſia, „quam beatiſſimi Apoſtoli Petrus & „Paulus ſuo Martyrio dedicarunt. Secunda autem Sedes apud Alexandriam, „beati Petri nomine, à Marco ejus diſcipulo, atque Evangeliſta, conſecrata „eſt: quia & ipſe in Ægypto primus verbum veritatis, directus à Petro, prædicavit, & glorioſum ſuſcepit martyrium. Cui venerabilis ſucceſſit Anianus, „& poſt hunc Abilius. Tertia verò Sedes apud Antiochiam, ejuſdem beati „Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis: quia illic, priuſquam Romam veniret, habitavit, & Zachæum, poſteà „Evodium, poſt quem Ignatium Epiſcopum conſtituit, & illic primum nomen „Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt. Nam & Jeroſolymitanus Epiſcopus, pro tanti loci reverentia, ab „omnibus habetur honorabilis, maximè

„quod illic primus beatiſſimus Jacobus, „qui dicebatur juſtus, qui etiam ſecundùm „carnem frater Domini nuncupatus eſt, à „Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis eſt „Epiſcopus ordinatus. Itaque, ſecundùm „antiquorum Patrum diffinitionem, Sedes „prima in Jeroſolymis eſſe minimè dici„tur, ne fortè ab infidelibus aut idiotis, „Sedes Domini noſtri Ieſu Chriſti (quæ „in cœlo eſt) in terra eſſe putaretur.„ Affinia habentur in duobus Concilijs Romanis ſub Damaſo & Gelaſio Pontificibus, juxta Em. Baronium *Annal. tom. 1. ad an. Chriſti* 39. *n.* 23. & conſequenter ſic definitum lego in præcitato Nicæno 1. Can. 6. „Antiqua conſuetudo ſervetur in „Ægypto, Lybia & Pentapoli, ut Alexan„drinus Epiſcopus horum omnium habeat „poteſtatem; quia & urbis Romæ Epi„ſcopo, parilis mos eſt (ſeu potiùs quo„niam tuis Epiſcopo Romano conſuetu„do eſt) ſimiliter autem & apud Antio„chiam cæteraſque Provincias, ſuis privi„legia ſerventur Eccleſijs, quod ſi quis „præter ſententiam Metropolitani fuerit „factus Epiſcopus, hunc magna Synodus „definivit Epiſcopum eſſe non oportere. „*Cant.* 7. *autem.* Quia conſuetudo obti„nuit & antiqua traditio, ut Æliæ (*Ieroſo„lymorum*) Epiſcopus honoretur, habeat „honoris conſequentiam, ſalvâ Metropo„li propriâ dignitate.„

35 *Sed difficultas hîc occurrit ſuper ſenſu Canonis VII. ex Nicæno præcitati. Sic deſuper ſcribit P. M. Chriſtianus Lupus in ſcholio ad præcitatum canonem* „Hincmarus „Remenſis Epiſcopus, Otto Friſingenſis „ac Theodorus Balſamon putant Æliæ „Epiſcopum ab hoc Canone erigi in Pri„matem aut Patriarcham. Errant. Etenim „Apoſtoli, Eccleſiaſticam Hierarchiam „Romanæ Reipublicæ accommodantes, „Palæſtinæ Provinciæ Metropolim po„ſuére Cæſaream, ſanctæ tamen Civitati, „ubi Dominus glorificatus, ejuſque primo „Epiſcopo, Iacobo Apoſtolo honorare „volentes, dederunt honoris conſequen„tiam, id eſt, primum locum poſt Metro„politam, ut eſſet Provinciæ illius Proto„thronus, plenè tamen ſubjectus Sedi Cæ„ſareenſi. Hoccè utriuſque Eccleſiæ pri„vilegium confirmat noſter Canon, uti li„quet ex S. Hieronymo in Epiſtola ad„verſus errores Joannis Ieroſolymitani „Epiſcopi, dicente Epiſt. 61. cap. 18. Se„cundum Nicænos Canones totius Orien„tis Metropolim eſſe Antiochiam, Palæ„ſtinæ autem Cæſaream, cujus Ieroſoly„ma non ſit niſi Parochia ſuffraganea. „Quod idem tradit S. Epiphanius in Epi„ſtola adverſum objecta ejuſdem Ioannis. „Et hinc ſtatim poſt Nicænam Synodum „Acacius Luſcus Euſebij, qui Synodo in„terfuerat, in Metropolim Cæſareenſem „ſucceſſor, Maximum Ieroſolymæ Epiſco„pum, tanquam ſuum ſuffraganeum deje„cit, intruſitque Cyrillum.„

„Edendi Canonis cauſam docent ſuc„ceſſus poſteriores. Iam dictos enim Aca„cium & Cyrillum Theodoretus lib. 2. „c. 27. ſcribit ſcandaloſè digladiatos fuiſſe „de jure Metropolitico, additque Zoſo„menus l. 2. c. 24. Exauctoratum Cyril„lum à Synodo Seleucienſi.„ *Quòd velut „Sedis Apoſtolicæ Antiſtes cum Acacio de jure „Metropolitano diſſenſiſſet. Epiſt.* 62. *c.* 3. „Etiam ejus ſucceſſor Ioannes, ut culpat „Sanctus Hieronymus, jactabat ſe habere „*Cathedram Apoſtolicam*, ideoque Cæſa„reenſem Epiſcopum in Metropolitam, „Antiochenum in Patriarcham nolebat „agnoſcere. Attamen nihil obtinuit: Et„enim

„enim, uti S. Auguſtinus teſtis eſt in libris „contra Iulianum, Dioſpolitanæ contra „Pelagium Synodo non ipſe præſedit, ſed „Eulogius Cæſareenſis, ejus poſt Pray- „lium ſucceſſor, Epheſo tranſlatus; ideò- „que pluribus Provinciis dominari ſoli- „tus juvenalis non tantùm Metropolita „eſſe prætendit, ſed & Sedi Antiochenæ „ſubripui ſex Provincias, tres Palæſtinas „duas Phœnicias ac Arabiam, oſtentavit ſe „illic Patriarcham, tentavit deſuper, uti ad „Maximum Antiochenum ſcribit S. Leo „Pontifex, impetrare aſſenſum & autho- „ritatem Synodis Epheſinæ.„

36 Verumtamen non videtur evacuare difficultatem. Primò: quia ſanctum Jacobum re ipsâ & honore, præſcindendo ſaltē ab expreſſa tituli declaratione fuiſſe Patriarcham Jeroſolymitanum, Metropolitam à Patriarcha diſtingui, ac Metropolim à Patriarchatu, patet ex præmiſſis *ſuppoſito ſecundo.* Deindè S. Jacobus frater Domini non ſolùm fuit Metropolita, ſed & Patriarcha: qui, licet Sedis antiquitate, & nobilitate primus fuerit (nam præterquàm quòd Chriſtus ipſe quodammodò ſederit Jeroſolymis, & hîc ſit Evangelij prædicationem exorditus, Prophetia eſt Davidis Pſalmo 109. *Virgam virtutū tuæ emittet Dominus ex Sion;* quod, ſubdit Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. p. 1. tit. 3. cap. 1. n. 9. *de Chriſti regno & Evangelij prædicatione Patribus benè explicat Genebrardus* ibid. *adducens authoritates* Iſaiæ cap. 2. verſ. 3. & Michææ cap. 4. verſ. 2. *ex Sion exibit lex.*) Attentò tamē honore canonicè Cathedræ D. Petri prælatô, eſt quartus. Denique in Nicæno non eſt actum de honore debito ſimplici Epiſcopo; quia de hoc non poterat eſſe dubiū: ſed de honore debito Epiſcopo Patriarchæ; quia Jeroſolymitana Metropolis erat Cæſaream tranſlata. Unde videtur Nicænū 1. Conciliū Generale declaraſſe Æliæ, ſive Jeroſolymorū Epiſcopū deinceps honorandum titulô Epiſcopi & Patriarchæ, juxta conſuetudinem & antiquam traditionem, ſalvâ Metropoli propriâ dignitate, id eſt, non extinctâ Metropolitanâ, ſive Archiepiſcopali dignitate, quæ tranſlata erat Cæſaream: ſic enim videtur iſtum Nicæni 1. Canonē VII. intellexiſſe ipſum Nicænum Concilium, dum Epiſcopum Jeroſolymitanum ante Metropolitam Cæſareenſem ad Actorum ſubſcriptionem admiſit: uti & Concilium VIII. Generale *can.* 17. dū authoritate infallibili ità definit, ſalvâ ſolius, poſt Romanam inter Alexandrinam, Antiochenam & Ieroſolymitanam præcedentiæ diſtinctione: *Sancta Univerſalis Nicæna Synodus antiquam conſuetudinem jubet ſervari per Ægyptum, & Provincias, quæ ſub ipſa ſunt, ità ut horum omniū Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens*; Quia & in Romanorum Civitate hujuſmodi mos prævaluit. „Quâ „pro cauſa & hæc magna & Sancta Syno- „dus tam in ſeniori & nova Roma, quàm „in Sede Antiochiæ, ac Hieroſolymorum, „priſcam conſuetudinē decernit in omni- „bus conſervari, ita ut earū Præſules uni- „verſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis „promouentur, & ſive per manus impoſi- „tionem, ſive per pallij dationē, Epiſcopalis „dignitatis firmitatem accipiunt, habeant „poteſtatem, videlicèt ad convocandū eos, „urgente neceſſitate, ad Synodalē conven- „tum, vel etiā ad coërcendum illos & corri- „gendum, cum fama eos ſuper quibuſdam „delictis forſitan accuſaverit. Sed quoniam „ſunt quidam Metropolitanorum, qui, nè „ſecundùm vocationem Apoſtolici Præ- „ſulis occurrant, à mundi Principibus ſe „detineri ſine ratione cauſantur, palcuit

 „talem

,,talem excuſationem omnimodis eſſe in-
,,validam. Cùm enim Principes pro ſuis
,,cauſis cōventus frequentèr agant, impiū
,,eſt, ut ſummos Præſules ad Synodos pro
,,Eccleſiaſticis negotijs celebrandū impe-
,,diant, vel quoſdā à Concilijs eorū prohi-
,,beant, licèt tale impedimentum & fictam
,,prohibitionem Metropolitanorū ſugge-
,,ſtione diverſis modis fieri didicerimus.
,,Conſueuerunt autem Metropolitani bis
,,in anno Synodos facere, ideoque, ſicut di-
,,cunt, ad Patriarchale penitus non poſſe cō-
,,currere caput. Sed Sancta hæc & univer-
,,ſalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metro-
,,politanis fiunt, interdicens, multò magis
,,illa novit rationabiliora eſſe, ac utiliora
,,Metropolitanorū Cōcilia, quæ à Patriar-
,,chali Sede congregantur; & idcircò hæc
,,fieri exigit: A Metropolita quippè unius
,,quidem Provinciæ diſpoſitio efficitur; à
,,Patriarcha verò ſæpè totius cauſa diæce-
,,ſeos diſpenſatur. Ac per hoc communis
,,utilitas providetur, propter quod & ſpe-
,,ciale lucrū propter generale bonum poſt-
,,poni convenit, cùm à Majoribus ſuper
,,hæc facta fuerit advocatio. Quamvis apud
,,quoſdam Metropolitanorū antiqua con-
,,ſuetudo, & Canonica traditio per cōtē-
,,ptum ipſorum poſtpoſita videantur, non
,,currentibus eis ad communem profectū,
,,quos leges Eccleſiæ ſeverè condemnātes,
,,omni excuſatione remotâ, ſubjacere voca-
,,tionibus proprij Patriachæ ſive cùm com-
,,munitèr, ſive cùm ſigillatim facta fuerint
,,exigunt. Illud autem, tanquam peroſum
,,quiddam, ab auribus noſtris repulimus,
,,quod à quibuſdam imperitis dicitur; non
,,poſſe Synodum abſque Principali præſen-
,,tia celebrari, cùm nuſquā Sacri Canones,
,,convenire ſæculares Principes in Conci-
,,lijs, ſanxerint, ſed ſolos Antiſtites. Vnde
,,nec interfuiſſe illōs Synodis, exceptis
,,Cōcilis univerſalibus, invenimus. Neque
,,enim fas eſt, ſæculares Principes, ſpecta-
,,tores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei
,,nonunquā eveniunt. Quiſquis ergo Me-
,,tropolitanorum propriū Patriarchā con-
,,tempſerit, & ad vocationē ejus, quæ ſive
,,ad unum ſolū, ſive ad plures, ſive ad om-
,,nes fit, abſque validiſſima ægrotatione,
,,vel paganorum incurſu, non obedierit, &
,,per totos duos menſes poſt notitiam vo-
,,cationis ad propriū venire Patriarchā mi-
,,nimè feſtinaverit, vel ſi quocunque mo-
,,dô latitare, aut non cognoſcere nuntiū ab
,,illo miſſum tentaverit, ſegregetur: ſi verò
,,intra unum Annum eandem contumaciā
,,& inobedientiam demonſtraverit, depo-
,,natur omnibus modis, & ab omni ſacer-
,,dotali operatione decidat, atque à digni-
,,tate & honore, qui Metropolitanis con-
,,venit, propellatur. Is autem, qui huic
,,definitioni non obedierit etiam, & Ana-
,,thema ſit.,,

37. Manifeſtum eſt enim ibi, Sedi Ieroſo-
lymitanæ, juxta Sanctæ & univerſalis Ni-
cænæ primæ Synodi definitionē, tribui au-
thoritatem, ſimilē illi, quàm habere decla-
ratur Sedes Alexandrina & Antiochena: nec
patet ex quo alio Nicænæ Synodi, quàm
Can. 7. ſuprà citato: ergo errat P. M. Lupus;
non verò Hincmarus Remenſis Epiſcopus,
Otto Friſingenſis, ac Theodorus Balſamon.
Accedit ratio: quia alioqui Nicæna prima
Synodus Epiſcopo Ieroſolymitano *dediſſet
honoris conſequentiā, id eſt, primum locum p.
Metropolitam, ut eſſet Provinciæ illius Proto-
thronus, plenè tamen ſubjectus Sedi Cæſarenſi*
dumtaxat, ut docet P. M. Lupus. Sed inpri-
mis hoc directè militat contra definitionē
Can. 17. octavi Cōcil. Generalis juxtà Can.
6. & 7. Nicæni I. præcitatorum. Deindè
cùm

cùm certiſſimè eſſet primus poſt Metropolitam Epiſcopus, fruſtrà fuiſſet iſta Nicæni primi declaratio, quod dicendum non eſt. Denique: Nicænum primum Epiſcopo Jeroſolymitano nihil de novo dedit, cujus oppoſitum malè ſupponit P. M. Lupus, ſed dumtaxat *Conſuetudinem & antiquam traditionem* circa honorem Epiſcopo Jeroſolymitano debitum, *conſequentiam*, id eſt, perſeverantiam habere voluit, iſto enim ſenſu cònſequentia olim vſurpatur, juxta illud Nyſſeni Epiſt. Canonica can. 6. *à Patrum conſequentia hæc nobis traditio facta eſt* Baſilij Epiſt. ad Amphiloch. can. 1. *defecit enim traditio, quod diſciſſa ſit conſequentia.* Et Conſtantinopol. 1. can. 7. *ſecundum hîc ſubiectam conſequentiam & conſuetudinem.* Unde ibid. *can.* 3. de Patriarcha Conſtantinopolitano, vti de Jeroſolymitano in Nicæno, non dicitur *habeat honoris conſequentiam*; ſed habeat primatum honoris, &c. quia illum ante non habuerat. Honos autem Patriarchæ Jeroſolymitanis indubiè à principio non fuit plenæ ſubjectionis Metropolitano Cæſareenſi: neque tanta, ut vidimus *ſuppoſitô primô*, Jeroſolymitanæ Sedis antiquitas & dignitas hanc plenam ſubjectionem permittebat, prout malè Metropolita Cæſareenſis prætendebat: ideoque Nicænum, illâ antiquitate & dignitate attentâ, decrevit cum honore Patriarchali (ut ſatis ſuadet Præfatio ſuprà relata ad Nicænum primum, & ulterior declaratio Concilij octavi Generalis) à Metropolitano Cæſareenſi exemptionem, prout juxtà conſuetudinem & antiquam traditionem eſſe debere ratio manifeſta perſuadebat: imò P. M. Lupo teſte in *Scholijs & Notis ad V. Concil. General. cap. 6.* Gregorius Magnus dedit litteras *ad Ioannem Patriarcham Ieroſolymitanum*. In Append. verò ad IV. act. 7. ſic ſcribit *S. Ioan. Chryſoſtomus &c. tres eodem tenore, de eadem materia ſcripſit Epiſtolas, ad Eulogium Cæſareenſem, Ioannem Ieroſolymitanum ac Theodoſium Scbytopolitanum, Epiſcopos, omnes palam Metropolitas.* Pauld infrà autem: *Synodalibus Ioannis Patriarchæ Ieroſolymitani ad Ioan. II. Conſtantinop. adverſus Severum Antiochenum litteris, in Synodo Conſtatinop. ſub Menna Patriarcha lectis & probatis poſt dictum Patriarcham*, ſcilicet Joannem Jeroſol. *ante omnes trium Palæſtinarum Epiſcopos ſubſcribunt Ioan. Cæſareenſ. & Theodoſ. Scbytopolit.*

38 Fundat quidem ſe P. M. Lupus 1. In Hieronymo *dicente*, inquit, *ſecundum Nicænos Canones totius Orientis Metropolim eſſe Antiochiam, Palæſtinæ autem Cæſaream, cujus Ieroſolyma non ſit, niſi Parochia ſuffraganea.* Quod *idem tradit S. Epiphanius in Epiſtola adverſum objecta, &c.*

39 Sed quorsùm hæ fallaciæ in re tanti momenti? Epiphanius ne vel umbrâ iſtius habet in tota ſua ad Joannem Epiſtola. Hæc autem ſunt verba Hieronymi in Epiſtola, quam pro ſe citat, *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus uteris: & alienos Clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes, tibi niteris uſurpare. Reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi dicitur, ut Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſareenſem Epiſcopum referre debueras, cui, ſpretâ communione tuâ, cõmunicare nos noveras, aut ſi procul judicium expetendũ erat, Antiochiam potiùs litteræ dirigendæ.* Ubi notandum primò: Hieronymũ dicere, ni *fallor*: & meritò; quia, ut vidimus, Jeroſolymis erat Patriarchatus ab Alexandrino & Antiocheno diſtinctus, & in Nicæno primo declaratus

talis,

talis, ſaltem quoad honorem, qui non admittit ſubjectionem Patriarcha Antiocheno, & multò minùs Metropolitæ Cæſareenſi: ut patet ex premiſſis *n.76.& 39.* undè, ſi illius oppoſitum non ſit certum, ſaltem eſt valdè dubium. Secundò Hieronymus quidem dicit, *ni fallor, hoc ibi*, id eſt, ſecundum Nicænos Canones, *decernitur, ut Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.* Sed evidens eſt ex verbis Nicænorum Canonum *ſuppoſitò* 3. citatorum, *Antiochiam* non dici *totius Orientis Metropolim*, ſed ſolùm dici *apud Antiochiam, cæteraſq; Provincias ſua privilegia ſerventur Eccleſiis*: quibus tantum abeſt, ut definiatur, Antiochiam eſſe totius Orientis Metropolim, vt potiùs definiatur Provinciæ Jeroſolymitanæ eſſe ſuum Patriarchatus ſervandum Privilegium, juxta id, quod ſequitur can.7. *Quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Æliæ Epiſcopus honoretur* honore Epiſcopi Patriarchalis, uti ſuprà declaratum eſt, *habeat honoris conſequentiam*, id eſt, *perſeverantiam*, prout effectivè habuit, dum Nicæno primo Concilio ante Epiſcopum Cæſareenſem ſubſcripſit. Tertiò: Neque in Canonibus Nicæni, neque in iſta Epiſtola Hieronymi hæc verba poſteriora habentur *Palæſtinæ autem Cæſaream, cuius Ieroſolyma non ſit, niſi Parochia ſuffraganea.* Quia, præterquam quòd id ſit indignè nimis deprimere, antiquitate & dignitate, ſenſu ſuprà datô, primam Sedem Patriarchalem: verba Canonis ſunt, *ſalvâ Metropoli propriâ dignitate*, in quibus ne vel umbra eſt excluſionis Patriarchatus ſupra Metropolitanam dignitatis, & multò minùs Jeroſolymitanæ de Sedis ad Parochiā Cæſareenſis Metropoli ſuffraganeam dejectionis, uti cæci vident, & multò magis S. Theologiæ Doctores videre debent.

40. Fundat ſe ſecundò P. M. Lupus. *In Acacij Luſci, Euſebij, qui Synodo Nicænæ interfuerat, in Metropolim Cæſareenſis ſucceſſoris*, factò, quô *ſtatim poſt Nicænam Synodum, Maximum Ieroſolymæ Epiſcopum tanquam ſuum ſuffraganeum deiecit, intruſitq; Cyrillum.*

41 Sed quis ille Acacius? *Euſebij diſcipulus & impietatis ſectator.* Baronius An. Chriſti 340. num. 13. Quis, Euſebius ille? „Qui Athanaſiô referente, primâ die „reſtitit fidei regulæ à Patribus decretæ, „& ſolutô Nicæno Conciliô, eôdem cum „Ario & Arianis perſeverante fœdere „amicitiæ, ſtructâ in fidem Catholicam „acie, paribus cum ijs dimicavit ſtudijs. „*Baronius ad An. Chriſti* 325. *num.* 27. *Quis* „*Maximus Ieroſolymæ Epiſcopus*? Fidei Ni„cænæ acerrimus aſſertor: *Baronius ad* „*Annum.* 331. *num.* 2. qui ſedere cæ„pit Anno Domini 331. & Anno 351. „obijt, dicendúſque eſt ſediſſe annos vi„ginti. *Baronius ad An. Chriſti* 35. *num.* 9. „*ubi addit*, Poſt obitum verò Maximi „(ſubdit Hieronymus) Eccleſiam Ariani „invadunt: Primum Cyrillus, qui cùm à „Maximo fuiſſet Presbyter ordinatus, & „poſt illius mortem ei ab Acacio Epiſco„po Cæſareenſi & cæteris Arianis Epiſco„pis, Epiſcopatus promitteretur, ſi ordina„tionem Maximi repudiaſſet, Diaconus in „Eccleſiam intravit, ob quam impietatem „Sacerdotij Mercede penſatus in Hera„clium, quem moriens Maximus in ſuum „locum ſubſtituerat, variâ fraude ſollici„tans, de Epiſcopo in Presbyterum regra„davit &c.„ Baronius *ubi ſuprà.* Ex quibus fallit tota narratio P. M. Lupi ex Socrate *lib.2. cap.* 30. Præſertim quoad iſtas particulas, *Maximum Ieroſolymæ Epiſcopum, tanquam ſuum ſuffraganeum dejecit*, quæ non

ſunt

ſunt melioris fidei › quàm hæc, *niſi Parochia ſuffraganea*, quas de proprio addidit, ut ſuprà *n.* 39. vidimus ſi verò Em. Baronio non credat › contra ipſum probet, Maximum› tanquam fidei Nicęnæ acerrimum aſſertorem› Ieroſolymę Patriarchatu non fuiſſe › ex Acacij Ariani circumventione› Imperatoris Conſtantij juſſu dejectum› ut narrat de ſimili Baronius ad An. 356. num. 21. hoc enim plus haberet coloris › cùm liberum non ſit Metropolitæ Epiſcopum vel ſolum ſuffraganeum ad nutum dejicere. Deinde › quidquid ſit de iſta violenta Maximi ejectione › ipſum fuiſſe Metropolitam, imò & Patriarcham› conſtat ex argumentis longè efficacioribus *n.* 36. allatis.

42 Fundat ſe tertiò: in ęo, quod *edendi Canonem octavum Nicani primi cauſa fuerit› inter Acacium & Cyrillum ſcandaloſa digladiatio de jure Metropolitico.*

43. Sed hoc non videtur apparentiam habere veritatis › cùm Nicęnum primum ſit celebratum anno Chriſti 325. Acacius factus Metropolita Cæſarceenſis Anno Chriſti 340. Et Cyrillus in Sedem Ieroſolymitanam intruſus anno 351. quorum neuter fuit in Nicæno primo › & cùm diù poſt Sedes ſuas acceperint›nón poſſunt ſuâ ſcandaloſa digladiatione de jure Metropolitico cauſam Canonis octavi Nicęni primi dediſſe› ut patet

44 Fundat ſe quartò. In *exauctorizatione Cyrilli à Synodo Seleucienſi› quod velut Sedis Apoſtolicæ Antiſtes eum Acacio de jure Metropolitico diſſenſiſſet.*

45 Certè Scholia & Notæ P.M.Lupi in præmiſſis, ut vidimus› & ſequentibus › uti probabimus›non parùm hiſtoriam Eccleſiaſticam confundunt: neq; hîc magis confuſionem vitant; quia Spondanus ad An. 359. *n.* 17. dicit. Primo: ob diſſenſiones Synodum eſſe dimiſſam à Leona, Præfecto Synodi ab Imperatore miſſo. Secundò *n.* 18. Acacium duobus annis ante Synodum Seleucienſem depoſuiſſe Cyrillum. Tertiò *n.* 19. Acacianos in illa Synodo horrendas protuliſſe blaſphemias. Quartò *nu.* 20. dimiſſâ Seleucienſi Synodô, juſſu Imperatoris congregatam Conſtantinopolitanam ex ſemtentia Acacij, in qùem Imperator ſemper viſus eſt propenſior. Quintò *n.* 21. In qua iterùm abdicatus eſt Cyrillus, præcipuè, quòd ſequeretur eos,qui Filium Patri conſubſtentialem aſſererent, cui ſubdit Baronius,*hoc verò magnæ Cyrilli laudi cedit, illum ea de re ab Arianis in crimen vocatum eſſe.* Sextò *n.* 22. de hac verò Synodo Conſtantinopolitana, deque Epiſcopis in ea tyrannicè damnatis, meminiſſe ſæpè Baſilium, & tam de ea, quàm de Seleucienſi pluribus agentem Gregorium Nazianzenum, lugere ingentem cladem & ejuſmodi Satanæ Conventibus univerſæ Orientali Eccleſiæ illatam. Melius autem P.M. Lupus his ſimilia retuliſſet, quàm ſuam Canonis VII. Nicæni primi falſam explicationem Tyrannicis blaſphemórum Arianorum factis coloraſſet, ut improbet ſequens factum noſtri Joannis Jeroſolymitani,*Etiam ejus ſucceſſor Ioannes,ut culpat S. Hieronymus,jactabat ſe habere Cathredram Apoſtolicam, ideoq; Cæſareenſem Epiſcopum in Metropolitam,Antiochenum in Patriarchã,nolebat agnoſcere.* Numquid reverà Cathedra Ieroſolymitana,quam habebat,erat *Apoſtolica*, & quidam aliquô ſenſu antiquitate & dignitate prima, uti patet ex *ſuppoſito primo & ſecundo*? Numquid illa honorem Cathedræ Patriarchalis merebatur, quem ex conſuetudine ac antiqua traditione obtinebat, declarante Nicæno primo, quod

D clarè

clarè confirmavit octavum Concilium Generale, juxta præmiſſa *ſuppoſito tertio*? Núquid S. Hieronymo in ſolutione fundamenti. 1. *n.* 39. ſatisfactum eſt? Numquid P. M. Lupus pro Euſebio & Acacio, blaſphemis Arianis, contra Sedem Apoſtolicam, antiquitate & dignitate quodammodò primam, contra Nicænum primum, & contra Concilium Generale octavum, Apologiam format, quam pro Joanne Jeroſolymitano ſummè in Eccleſia à Pontificibus, Martyrologijs, Auguſtino & alijs ob fidem, morum ſanctitatem, & alia, ut patebit infrà *num.* 50. & fuſiùs in *Monito Chriſtiano* n. 2. ad 18. admodum commendato formandam negat? Ipſe viderit.

46 Fundat ſe quartò. In Sancto Auguſtino per hæc verba *Attamen nihil obtinuit, uti S. Auguſtinus teſtis eſt in libris* contra Iulianum 1. cap. 5. & 7. *Dioſpolitana contra Pelagium Synodo non ipſe præſedit; ſed Eulogius Cæſareenſis, ejus poſt Praylium ſucceſſor, Epheſo tranſlatus.*

47 Sed hoc ipſi non favet: quia imprimis habemus magis authenticum pro nobis teſtimonium, ex ipſo Nicæno primo Concilio Generali, in quo Macarius Epiſcopus Jeroſolymitanus Sanctis Canonibus ſubſcribit antè Epiſcopum Cæſareenſem: ad hoc autem Concilium, utpote in quo ex conſuetudine & antiqua traditione honos Patriarchalis Epiſcopo Jeroſolymitano ſuprà Metropolitanum aſſertus eſt, attendiſſet melius. Imò & ex relatione Synodi Cōſtantinopolitanæ ad Damaſum Papam, vel ipſo P. M. Lupo in Append. ad art. 7. Calced. ita ſcribente, *Synodi Conſtantinopolitanæ ad S. Damaſum Pontificem relatio dictum Cyrillum palam agnoſcit Metropolitam, atque ità & ejus ſucceſſor Ioannes perrexit ſe in dignitate iſta oſtentare.* Vide & alia fortiora Auguſtini obſcuro & valdè dubio argumenta *num.* 36. Unde dicendum Eulogium ab Auguſtino quaſi Dioſpolitani Præſidem (*quaſi* inquam; quia Auguſtinus cap. 5. citato dicit, *qui Pelagio Iudices præſederunt*) primò locò nominari; eò quòd ageret ex ſpeciali commiſſione Innocentij primi Pontificis: quomodò, Baroniò teſte ad annum 325. n. 7. Oſiu, mediocris Eccleſiæ in Hiſpania Epiſcopus Cordubenſis, in Concilio Nicæno primo Generali ante alios Legatos Apoſtolicæ Sedis, & ante ipſos Orientalium Sedium Patriarchalium Antiſtites, ac denique ante totius Africanæ Eccleſiæ Primatem, ſubſcripſit. Alioqui dicendum eſſet Auguſtinum in ſua enarratione, & ipſum Concilium Dioſpolitanum in ſua ſubſcriptione, impegiſſe in Nicænum primum Generale, quod non eſt credibile. Unde P. M. Lupus obindè non ſatis conſideratè dicit, *Attamen nihil obtinuit*, cujus oppoſitum videtur manifeſtum ex dictis *numer.* 36. & ex ipſomet ſtatim.

48 Fundat ſe quintò. In juvenalis, in Sedem Jeroſolymitanam Praylij Succeſſoris, facto, quò *non tantùm Metropolita eſſe prætendit; ſed & Sed Antiochenæ ſurripuit ſex Provincias, tres Palæſtinas, duas Phænicias, ac Arabiam: oſtentavit ſe illic Patriarcham*, &c.

49 Sed hoc nihil ad nos, qui non intendimus Epiſcopum Jeroſolymitanum, vi *Can. VII.* Nicæni primi Generalis, fuiſſe Patriarcham ſuprà tres Provincias Palæſtinæ, duas Phænicias & Arabiam; ſed ſuprà unā Palæſtinam, ac proindè ſuprà Metropolitā Cæſareenſem, ante quem in dicto Nicæno ſubſcripſit. Sic nempè, ut Epiſcopus Jeroſolymitanus habuerit authoritatem ſuprà Archiepiſcopum Cæſareenſem, de qua poſtmodum in octavo Concilio Generali Can. 17. his

his verbis, „quâ pro cauſa, & hæc magna „& ſancta Synodus, tam in ſeniori & no- „va Roma, quàm in Sede Antiochiæ, ac „Jeroſolymorum, priſcam conſuetudinem „decernit in omnibus conſervari; itaut. eo- „rum Præſules univerſorum Metropolita- „norum, qui ab ipſis promoventur, & ſive „per manuum impoſitionem, ſive per pal- „lij dationem, Epiſcopalis dignitatis fir- „mitatem accipiunt, habeant poteſtatem „*&c* „ Ex hoc enim Canone, & Nicæni primi Generalis *Can. VII.* Videtur clarè ſequi, Epiſcopum Jeroſolymitanum ſemper fuiſſe Archiepiſcopi Cæſareenſis Patriarcham, cum poteſtate illum promovendi, ſive per manuum impoſitionem, ſive per pallij dationem, convocandi, corrigendi, coercendi, &c. Ut patet ex iſto Canone ſeptimo, citato *num.* 36. Ac proindè S. Hieronymus locô num. 37. citatus, non ſine gravi, & prudenti ratione dubitandi, dixit, *ni fallor.* P. M. Lupus verò, nec ſatis graviter, nec ſatis prudenter, iſtam Cyrilli & Joannis Jeroſolymæ Epiſcoporum abſolutè culpat prætenſionem.

QUARTUM.

50 SUppono quartò. Satis conſtare ex dicendis in *Monito Chriſtiano* n. 2. ad 18. Joannem 44. Patriarcham Jeroſolymitanum. *Primò*: fuiſſe in Divina revelatione ſuper reliquijs S. Stephani vocatū *Sanctū*, & adhuc hodie in officio S. Stephani *Sanctum* accini in Eccleſia Trevirenſi, Leodienſi, Cameracenſi, Beluacenſi, Aurelianenſi, Pictavienſi, Cenomanenſi, Metropolitana, Toletana, Cordubenſi, Gienmenſi, Segovienſi, & pluribus alijs Hiſpaniæ, Germaniæ, ac Galliæ, imò etiam Monachorum, Regularium Canonicorum, & Mendicantium. Secundò: in vita ab Anaſtaſio Papa, D. Auguſtino, Paulino, Luciano, & alijs interpellatum *Sanctum*. *Tertiò*: poſt obitum à Zozimo Papa, ab Auguſtino aliquoties, & ab Idacio Epiſcopo in Chronico nominatum *Sanctum*. A. Ioan. Cyprio, Authore vitæ S. Epiphanij, *Sanctum in omnibus*. A Trithemio *Sanctiſſimum*. Ab Adone Archiepiſcopo Viennenſi, Petro Geleſino & Ioanne Molano in Martyrologijs *Beatum, Sanctum*, &c. A Nicephoro in Hiſtoria Eccleſiaſtica *Divinum* prædicari. A Petro Equilino in Catalogo Sanctorum *inter Divos* recenſeri. A Ioanne Gillemano in Tabula Epiſc. Sanctorum Eccleſiæ *inter Patriarchas & Confeſſores* accenſeri. A Guilielmitano, Eremita Vallis S. Antonij Brugenſis, in lib. Epiſcop. Eccleſiæ Dei, *inter Divos* connumerari. A Caſſiano, *cum Baſilio & Hieronymo inter viros vita Nobiles, & ſermone, ſcientiaq; præclaros* conjungi. A Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo, *admiratione dignum & admirabilem* cognominari. A. S. Proſpero. *Illuſtrem ob vitæ puritatem & Prophetiæ gratiam* prædicari. A Trithemio, Arnoldo Boſtio, Ioanne Groſſo & Pallæonydoro *Miraculis clarum* dici. Super his tamen attende ad binam ſubmiſſionem S. Romanæ Eccleſiæ *locô citatô* num. 12. *&* 13. factam. Quartò: Opera inſignia ejus plurima *numerò* 14. recenſeri. Quintò; A ſuſpicione Pelagianiſmi *num.* 8. *&* 10. Ab increpatione Papæ *num.* 15. *&* 16. A ſuſpicione Origeniſmi in *cauſa Chriſtorum Dei* ferè per totam, & infrà in *Examine* &c. *n.* 79. *& ſeq.* omninò purgari. Ex quibus formo hoc dilemma: *vel Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, eſt & fuit Sanctus, & ſic tunc & hodiè temerè de hæreſi ſuſpectus declaratur; vel nec fuit, nec eſt Sāctus, & ſic tunc & hodiè attentis adverſariorū argumentis, benè de hæreſi ſuſpectus declaratur:*

 atqui

atqui hoc poſterius, attentis præmiſſis, eſt incredibile, nec ſine graviſſima tot teſtium, omni exceptione majorum, injuria, dici poteſt: ergo prius omninò dicendum eſt. Et quamvis ibi S. Auguſtinus (ſimiliter Anaſtaſius & Zoſimus Pontifices, &c.) nomen *Sanctus* non acceperint in rigoroſa, & nunc communiter uſitata ſignificatione; hinc tamen cum Em. D. Cardinali Baronio in *Præcapitulatione ad Martyrologium Romanum cap.* 7. in cauſa omninò ſimili, ſic licet diſcurrere. *Etenim,* inquit Baronius, *etſi olim ſanctitatis titulus communior eſſe videretur, ut non ſolùm (ut hodie) illis tribueretur Chriſtianis, qui vita functi in cœlo regnant cum Chriſto, ſed & quibuſcunque laudabilioris vitæ fidelibus: datum tamen aliquando homini hæretico, nemo dicere jure poterit.*

51. Iſti ſunt, P. *M. Lupe*, & inſuper citati ſuprà *n.* 14. præter Theodoretum *n.* 30. Ruffinum, & Joanni reconciliatum Hieronymum *n.* 29. 30. *&* 31. citatos, ex quibus Apologias pro Joanne 44. componimus, & qui ſic pro eodem illas componunt. Nos ex reſponſo tuo videbimus: an iſti *Æthiopem lavent compeſcendique ſint tanquam ingenia libertina & noxia, niſi brevi pro Martino Luthero & Ioanne Calvino Apologias videre velimus.* Et quæ proferes eorum teſtimonia, diſcutiemus, an & quid iſti pro Martino Luthero & Joanne Calvino tam laudabiliter, ac pro Joanne 44. quem Luthero & Calvino admodùm injurioſè comparas, ſcripſerint & ſenſerint: nam ſi veram putes tuam ſententiam, ab ea non amoveberis & defendes; ſi falſam, in ea non perſiſtes, & retractabis, juxta illud Auguſtini, tui Patroni ſingularis, l. 2. contra Creſconium c. 3. *Sicut laudabile eſt à vera ſententia non amoveri, ita culpabile eſt perſiſtere in falſa, quam nunquam tenere prima laus eſt, & ſecunda mutare, ut mutatâ falsâ, verâ ſuccedat.*

QUINTUM.

52 SUppono quintò: Bellum Sanctorum inter Joannem Patriarcham Jeroſolymitanum & Epiphanium ac Hieronymum, viros Sanctitate vitæ, doctrinâ & ſcriptis iſtô tempore valdè conſpicuos, incæpiſſe ob ordinationem violentam Pauliniani, fratris germani Sancti Hieronymi (cui ille cohabitabat in Monaſterio Betlehemitico, quod Hieronymus dirigebat) ab Epiphanio extraneo, Epiſcopo Salaminæ in Cypro, Joanne Patriarchâ invitô, uti fatetur Epiphanius in Epiſtola ad Ioannem. „In Monaſterio Fratrum, & Fratrum peregrinorum, qui Provinciæ nihil tuæ deberent, &c. Ordinavimus Diaconum, & „poſtquam miniſtravit rurſum Presbyterum, ſuper quo debueras gratulari intelligens, quòd ob Dei timorem hoc ſumus „facere compulſi, maximè cùm nulla ſit diverſitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Eccleſiæ providetur. Nam & ſinguli „Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram impeditur; tamen præponitur charitas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt: nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quô tempore, & quô modô, & in quibus & quarè factum ſit. *Quod verò Paulinianus ille „cohabitaret Hieronymo fratri ſuo in Monaſterio Betlehemitico, Ioanni ſubjecto, ſequentia, „præter præſumptionem, probant,* Cùm enim „vidiſſem; quia multitudo Sanctorum Fratrum in Monaſterio conſiſteret, & S. „Presbyteri Hieronymus & Vincentius „propter verecundiam & humilitatem nol-

„lent

„lent debita nomini ſuo exercere ſacrifi-
„cia, & laborare in hac parte miniſterij
„quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt(*igi-
„tur illis cohabitabat, & ad illos ordinatus
„eſt*) invenire autem & comprehendere
„ſervum Dei non poſſes(*igitur ſubditus ejus
„erat;*) qui te, eò quòd grave onus Sacer-
„dotij nollet ſuſcipere, ſæpè fugiebat; ſed
„nec alius quis Epiſcopum facilè eum re-
„periret. *De ordinatione violenta magis patet
„ex ſubjectis ibidem*: Unde ſatis miratus ſum,
„quomodò ex Dei diſpenſatione ad nos
„venerit, *&c.* cùm igitur celebraretur col-
„lecta in Eccleſia Villæ, quæ eſt juxta Mo-
„naſterium noſtrum, ignorantem eum, &
„nullam penitus habentem ſuſpicionem,
„per multos Diaconos apprehendi juſſi-
„mus, & teneri os ejus, ne fortè liberari ſe
„cupiens, adjuraret nos per nomen Chri-
„ſti: & primum Diaconum ordinavimus
„*&c.* Et cùm miniſtraret in ſanctis Sacri-
„ficijs rurſus eum ingenti difficultate ten-
„tò ore ejus ordinavimus Presbyterum:
„poſt hæc ſcripſimus ad Sanctos Presbyte-
„ros Monaſterij. *De Ioanne Patriarcha in-
„vito iam ſequitur*: Sed & illud vehemen-
„ter admiratus ſum, quod meis locutus es
„Clericis, aſſerens te per ſanctum Presby-
„terum & Abbatem Monachorum man-
„daſſe, ne quemquam ordinarem, & ego
„pollicitus ſim (*id eſt, non curarem*) dicens,
„numquid juvenis ſum, aut Canones
„ignoro? Audi igitur veritatem in Sermo-
„ne Dei, me hoc non audiſſe, nec noſſe, nec
„iſtius Sermonis penitùs recordari.,, Hęc
autem Ioanni Patriarchæ non ſatisfecerunt;
quia ſemper ſubſiſtit: quod Epiphanus or-
dinarit Paulinianum in Eccleſ. non ſua; &
quod ordinarit alienum, ſive alterius Epiſ-
copi ſubditum, imò Subdiaconum utrumq;
contra Sacros Canon. Apoſtolorum quidem
36. „Epiſcopum non audere (*ſubaudi ex
„Can.* 33. cõvenit) extra terminos proprios
„ordinationes facere in Civitatibus, & Vil-
„lis, quæ illi nullô jure ſubjectæ ſunt; ſi verò
„convictus fuerit hoc feciſſe, præter eorũ
„conſcientiam qui Civitates & Villas de-
„tinẽt, & ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt
„ordinati. *Nicano* 1. *Can.* 16. Si quis autem
„ad alium pertinentem audacter invade-
„re, & in ſua Eccleſiâ ordinare tentaverit,
„non conſentiente Epiſcopo, à quo diſceſ-
„ſit is, qui regulæ mancipatur, ordinatio
„hujuſmodi irrita comprobetur. *Antiocheno
„Can.* 13. Nullus Epiſcopus ex aliena Pro-
„vincia audeat ad alienam tranſgredi, & ad
„promotionem miniſterij aliquos in Ec-
„cleſijs ordinare, licet conſenſum videan-
„tur præbere nonnulli,, (quo irritatur diſ-
ſimulatio Cypriana, quàm pro ſua excuſa-
tione allegat Epiphanius, nec aliundè lo-
cum habere debet pro Palæſtina, ut patet)
*niſi litteris, tam Metropolitani, quàm cætero-
rum, qui cum eo ſunt, Epiſcoporũ, rogatus ad-
veniat, & ſic ad actionem ordinationis accedat.
Si verò, nullo vocante, inordinato more depro-
peret ſuper aliquibus ordinationibus* (prout
Epiphanius in ordinatione Pauliniani, imò
& aliorum, ut ipſe verbis Ioannis in Epi-
ſtola ad Ioannem refert, „quomodò poſ-
„ſunt illius niti Epiſtola, quam de ordina-
„tione Pauliniani illicita, & illorum, qui
„cum eo ſunt, à nobis coargutus ſit.) Et
„Eccleſiaſticis ad eum non pertinentibus
„componendis, irrita quidem, quæ ab eo
„geruntur, exiſtant; ipſe verò incompoſiti
„motus ſui, & irrationabilis audaciæ, ſu-
„beat ultionem, ex hoc iam damnatus à
„Sancto Concilio. *Sardicenſi* Can. 13. (*Co-
„lon. Agrip. impreſ.*) Oſius Epiſcopus di-
„xit; & hoc univerſi conſtituimus, ut
„quicumque ex alia Parochia voluerit alie-

„num Miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi „ipſius, & ſine voluntate ordinare, non ſit „recta ordinatio ejus : quicumque autem „hoc uſurpaverit, à Fratribus & Coepiſco„pis noſtris, & admoneri debet & corrigi. „Et *Carthaginenſi Can.* 5. Privatus Epiſco„pus Vegelitanus dixit: ſuggero Sanctita„ti Veſtræ, ut ſtatuatis, non licere Clericũ „alienum ab aliquo ſuſcipi, ſine litteris „Epiſcopi, neque apud ſe retinere (*num„quid ſic Epiphanius Paulinianum à Ioanne or„dinatum Subdiaconum ſuſcepit, & apud ſe re„tinuit?*) nec laicum ſibi vſurpare de plebe „aliena, vt eum ordinet, ſine conſcientia „ejus Epiſcopi, de cujus plebe eſt. Gratus „Epiſcopus dixit. Hæc obſervantia pacem „cuſtodit : nam & memini in ſanctiſſimo „Concilio Sardicenſi ſtatutum, ut nemo „alterius plebis hominem uſurpet. Sed ſi „fortè erit neceſſarius, petat à collega ſuo, „& per conſenſum habeat.„

53 Unde Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus. Primo: quantũ colligitur ex *Epiſtola* 61. Hieronymi *ad Pammachium*, Clericis ſuis mandavit, ut ſi quis Paulinianum, ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum, Presbyterũ dixerit, Eccleſiã prohibeatur intrare. Hæc ſunt verba Hieronymi, *Mandas Clericis tuis, ut ſi quis Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum, presbyterum dixerit, Eccleſiã prohibeatur intrare.* Numquid juxta Canonem Apoſtolorum, *& ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt ordinati.* Nicenũ ſuprà, *Ordinatio hujuſmodi irrita comprobetur.* Antiochenum, *irrita quidem, quæ ab eo geruntur exiſtant.* Et Sardicenſe, *non ſit rata ordinatio?* Secundò: Excõmunicare comminatus eſt Paulinianum, & Hieronymum ordinationis ejus defenſorẽ acerrimum. Hæc ſunt verba Hieronymi, *qui mortuis ſepulchrum negat; quis potentiſſimam illam feram totius Orbis cervicibus imminentem contra noſtras cervices ſpiritualiter incitavit?* Numquid juxta Antiochenũ, *irrationabilis audacia ſubeat vltionẽ, ex hoc jam damnatus à Concilio.* Et Sardicenſe, *à Fratribus, & Coepiſcopis noſtris, & admoneri debet, & corrigi?* Tertiò, exilium poſtulavit, & impetravit. Hæc ſunt verba Hieronymi in Epiſtola ad Theophylum 62. *Nuper à nobis poſtulavit & impetravit exilium.* Numquid fundatus in præcitatis Concilijs contra repugnantes?

54 Objicit quidem Hieronymus Ioanni in Epiſtola 61. ad Pammachium: *Theoſebam Tyriæ Eccleſiæ diaconum facis Presbyterum, & contra nos armas, illiuſque in nos abuteris eloquentia. Tibi ſoli licet Eccleſiæ jura calcare, tu quidquid feceris, norma doctrinæ eſt: & non erubeſcis ante Tribunal Chriſti judicandum tecum Ephiphanium vocare.*

55 Sed reſpondeo: id hîc vim non habere, uti *ſuppoſitò ſextò*, videbitur. *Primò:* quia dictum unius ſolius defenſoris Epiphanij à Joanne accuſati. *Secundò:* quia accuſans prior à Reo accuſari non poteſt, niſi prior accuſatio ſit finita. *Tertiò*: quia actor inimicorum (ſi ità loqui liceat de Epiphanio & Pauliniano eâ ratione, quâ *ibid.* Hieronymus Epiphanium vocat Ioannis Ieroſolymitani inimicum, *qui inimicus eſt, etiam in ſcripo nodum quæret.*) Epiſcopum, à fortiori Patriarcham, accuſare non poteſt. *Quartò*: Frater, cognatus, familiaris vel domeſticus alicujus accuſati judicem adverſus eum procedentem accuſare non poteſt: erat autem Hieronymus Pauliniani frater & domeſticus, Epiphanij familiaris. *Quintò*: teſtimonium actoris ſolius non auditur, contra negantem. *Sextò*: non conſtat, quod Ioannes non habuerit conſenſum proprij Epiſcopi Theoſebæ, uti conſtat, Epiphanium non habuiſſe Ioannis. *Septimò*: Theoſeba factus erat domeſticus, Conſiliarius vel

vel Amanuenſis Ioannis 44. quantùm ex his verbis Hieronymi colligitur, *illuſq; in nos abuteris eloquentia.* *Octavò:* hîc omninò præſumptio eſt pro Ioanne, quòd vel ſubeſſet dictus conſenſus, vel quòd Theoſeba Ieroſolymis domicilium, vel quaſi domicilium haberet: nam prudenter præſumi non poteſt de uno Patriarcha tali, qualem deſcripſimus *ſuppoſito quarto*, prævaricatio eorumdem Sacrorum Canonum, quam ipsô factô contra alios arguebat: unde meritô Baronius, Spondanus, & alij ante P. M. Lupum, iſtam objectionem tanquam nullam diſſimularunt, quos ipſe potiùs imitari debuiſſet, quàm ità temerè in *Scholijs & Notis ad Can. 16. Nicæni 1.* ſcribere, *hinc ut grande crimen S. Hieronymus improperat Ioanni Ieroſolymæ Epiſcopo, quod Theoſebã, Eccleſiæ Tyriæ diaconum, in presbyterum conſecraſſet;* cùm ſit id grande crimen de Epiphanio, in ordinatione Pauliniani, confirmare, quod ut excuſet Hieronymus, acerrimè contra Joannem agit: imò cùm ipſe illud evidenter excuſet in *Scholijs & Notis ad Can. 15. Concil. Sardicenſis* ſcribens, *tandem tamen & Vniverſa Eccleſia recepit, ſtatuens neminem ordinari, niſi ab Epiſcopo* (nota) *originis, domicilij aut beneficij.* Ad quod etiam ibi non ſatis attendit Hieronymus.

56 Quamobrem S. Epiphanius iſta objectione uſus nõ eſt; ſed aliter ſe excuſavit, dicens in ſua apud Hieronymum Epiſt. 60. ad Ioannẽ: *audivi quippè, quòd tumeas contra nos, & iraſcaris, & miniteris ſcribere in extremos fines terræ,* &c. *nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extorſimus. In Monaſterio fratrum, & fratrum peregrinorum &c.* ut ſuprà ſub initium *ſuppoſiti quinti.* Sed iſta ſolã à pio zelo excuſationem alliciunt, nullam juris defenſionem inducunt, ut præmiſſa cõſideranti patebit: urgebat etenim Joannes 44. contra S. Canones Epiphanij prævaricationem, in quibus diſpenſare nõ poterat, & diſſimulando per eos irritam Pauliniani & ſociorum ordinationem, non irritam facere. Extortionem tamen factam oſtendemus in *cauſa Chriſtorum Dei n. 16.*

57 Reſtat autem probandum id, quod ſuppoſuimus, bellum Sanctorum, &c. incæpiſſe ob ordinationẽ Pauliniani, &c. Quod

58 Probatur primò: quia ante Epiſtolam Epiphanij contra Joannem, fuit integra & perfecta cum Joanne omnium Monachorũ, abſque ulla de hæreſi ipſius ſuſpicione, cõmunio, ut patet ex Epiſt. 61. Hieronymi ad Pammachium. *Cùm enim objiceret nobis.* Iſidorus, Theophyli Patriarchæ Alexandrini Legatus, *Quarè ei,* ſcilicèt Ioanni, *communicavimus, ſi hæreticus erat: audivit ab omnibus* (nota verbum veritatis ex ore inimicorũ, ſi ſic loqui liceat; nam *ibidem* præmittit Hieronymus, „illud verum eſt teſtimoniũ, „quod ab inimica voce profertur *& allata* „*n.* 55. communicavimus, nihil de hæreſi „ſuſpicantes. Poſtquàm verò à B. Epipha„nio Papa conventus, tam ſermone, quàm „litteris, reſpondere contempſit; cunctis „monachis ab eodẽ Epiphanio ſcripta ve„nerunt, ut abſque ſatisfactione fidei nul„lus ei temerè communicaret: præſto ſunt „litteræ, nec ſuper hac re dubitari poteſt.„ Nam hoc ipſum quod poſt Epiphanij Epiſtolam ad Ioannem fuit adimpletum, ante illam, poſt ordinationem Pauliniani tamen, vti probabimus in *cauſa Chriſtorum Dei n. 26. & 41.* fuiſſe inceptũ confirmat Epiphanius in Epiſtola ſua ad Ioannem, *& propter noſtrã parvitatẽ & litteras, quas ad eos crebrò direximus, communionis quoque tuæ cæperunt habere diſcordiam.* Neque reverà, ſi antè perverſæ fidei ſuſpicio aut de fidei dogmati-

bus

bus cum Ioanne diſputatio præceſſiſſet, Epiphanius hanc ordinationis illicitæ excuſationem, his verbis, quæſijſſet, *cùm invenire & comprehendere ſervum Dei Paulinianum non poſſes, qui te, eò quòd grave onus ſacerdotij nollet ſuſcipere, ſæpè fugiebat* (quô ſatis notatur Joannis in Epiphanium, Paulinianum Hieronymi fratrem Germanum, & Hieronymum, eô ſaltem tempore, benevolentia:) ſed reſpondiſſet rotundè, *ſuſpectus eras de hæreſi, & ideò illum à te ordinari non expediebat*: cujus oppoſitum ibi ſcribit, ut infrà videbitur. Ergo evidens eſt ex iſto indubitabili teſtimonio, monachorum ſuſpicionem, & à Ioannis communione ſeparationem, incæpiſſe ab Epiphanio & ejuſdem litteris ad iſtos monachos.

59 Probatur ſecundò: quia Epiphanius in ſua ad Ioannem Epiſtola, apud Hieron. 60. incipit ab offenſa Ioannis contra Epiphanium ob ordinationem Pauliniani, *audivi quippè, quòd tumeas contra nos & iraſcaris, & miniteris ſcribere in extremos fines terræ, ut loca Provinciaſq; non nominem* &c. *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violentèr extorſimus. In monaſterio fratrum* &c. ut ſup. n. 56.

60. Quod autem anteà non incæperit de ſuſpicione fidei Ioannis cum Epiphanio diſceptatio: conſtat, tum ex verbis Ioannis ab Hieronymo in Epiſtola 61. ad Pammachium relatis, Quomodò poſſunt „illius niti Epiſtola, quam de ordinatio- „ne Pauliniani illicita, & eorum, qui cum „eo ſunt à nobis coargutus (*nota, quaſi adderet*, jam de vindicta ſuſpectus) ſcripſit. „*Et paulò infrà* menſæ ſuæ & domus con- „tubernium, *ſive familiaritatem domeſticam*, „imputat Epiphanio, ſcribitque eum nun- „quam eſſe ſecum de Origenis dogmati- „bus locutum, & ſub juſiurandi teſtifica- „tione confirmat, dicens: nè ſuſpicionem „quidem, ſicut Dei teſtis eſt perverſæ in „nos fidei ſe habere monſtravit. *Ideoque* „*Ioannes* ibidem *paulò antè*, dabit ille ra- „tionem pro omnibus, quæ geſta ſunt, an- „te Tribunal Chriſti, ubi major & minor „abſque ulla perſonarum acceptione judi- „cabitur. Præmiſerat autem Hierony- „mus, *non ſemel, non tertiò, ſed frequentiſſi- „mè juraverunt* Iſidorus & aſſeclæ ejus ad „Hieronymum pro Ioanne Legati, *ſe eum*, „ſcilicèt Ioannem *de quo quæſtio erat, ſcire* „*orthodoxū, nec unquam in ſuſpicione habere* „*hæreſeos*. Cur non credit Ioanni ſuo Epiſcopo & Patriarchæ juranti, extra hanc ſuſpicionem, quam fictam indicat, Hieronymô non multò inferiori in morum ſanctitate & doctrina, ut patet ex *ſuppoſito quarto*? Cur Ioanni & Legatis iſtis ità frequentiſſimè jurantibus fidem non habet, cùm ſcripturam calleat dicentē „*in ore duorum* „*vel trium ſtabit omne verbum*? Cur magis „fidit Epiphanio totius ſuſpicionis autho- „ri, uti probavimus, & nō juranti, ſubdens, „nolo reſpondere & arguere acriter, ne „perjurij Epiſcopum convincere videar: „præſto ſunt Epiſtolæ Epiphanij, una ad „ipſum, aliæ ad Epiſcopos Palæſtinos, & „nuper ad Romanum Pontificem, in qui- „bus dicit ſe eum coram multis de dog- „matibus arguentem non meruiſſe reſ- „ponſum, totumque noſtræ paruitatis eſt „monaſterium.„ Hoc dixerit Epiphanius coram toto monaſterio Betlehemitico, ſcripſerit ad Palæſtinæ Epiſcopos & Romanum Pontificem: uti hæc non probant ipſum non fuiſſe totius ſuſpicionis authorem; ità nec ipſum iſta non dixiſſe, & ſcripſiſſe, eâdem authoritate, quâ totius ſuſpicionis author fuit. Numquid fortè dictum vel ſcriptum non juratum unius ſolius

Epiphanij

Epiphanij prævalere poteſt vnius Epiſcopi & Patriarchæ, non multò inferioris in morum ſanctitate & doctrinâ, juramento duorum juramentis frequentiſſimè confirmato? Numquid præſumptio eſt pro Epiſcopo Patriarcha Epiphanium fatentem arguente, contra eundem Epiphanium poſteà ſuſpicionem illam, & ex ea Joannis redargutionem, à ſe *coram multis* factam prætextantem? Reverà caviſſet Ioannes Patriarcha oppoſitum ità jurare, & obindè Epiphanius ad Tribunal Chriſti provocare, ſi ibi multos ſui periurij & temeritatis teſtes habuiſſet. Vide quę *ſuppoſ.* 6. ſequenti aliunde opponuntur & iſta fuſius deducta in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 89.

SEXTUM.

61 Suppono ſextò. Ad juſtum & legitimum judicium de toto hoc bello Sanctorum, inter Joannem ex una parte, & Epiphanium ex altera parte, id non eſſe ſumendum ex allegatis & non probatis utriuſvis partis: tum quia totum hoc bellum eſt ex allegatis & non probatis ab Epiphanio & Hieronymo, ſecundum quæ parum juſtè, poſt nequiſſimum Eraſmum Baronius Tom. 4. ad annum 393. judicavit, ſicque iudicium bello ſubiecit, ut magis ſæviat poſt, quàm ante: tùm quia alioqui ſola accuſantis opinio Sanctitatis, in quo vis judicio, etiam ciuili, ad accuſati, etiam injuſtiſſimè, condemnationem ſufficeret ac ſic ementita plerumque ſanctitas, legem Dei Deut. 7. „In ore duorum vel „trium peribit, qui interficietur. *Et ibidem* „*cap.* 19. In ore duorum vel trium teſtium „ſtabit omne verbum, *everteret, imò & to-* „*tum jus naturale ac poſitivum, in quo nihil* „*conſtantius, quàm* iniquè judicat, qui ju-„dicat inauditâ parte alterâ. Iudicandum „ſecundùm allegata & probata. Teſtimo-„nium unius præcisè, teſtimonium nullius. „Potior eſt conditio negantis, & probandi „onus incumbit affirmanti *&c. tamen.*

62 Accipe textus. Primò pro Judice Cap. „ſuper quæſtionum articulis. *de offic.* „*& poteſt. delegati*, Iudex debet cognoſce-„re per ſe ipſum in principio, & in medio, „& in fine, cùm antequam ferat ſenten-„tiam, univerſa, quæ acta ſunt in judicio, „inveſtigare debeat diligenter. *Cap. tua nos* „*de Simonia*: Nobis datum eſt, de manife-„ſtis tantummodò judicare, *&c.* diſtrictus „Judex ſcrutator eſt cordium & cognitor „ſecretorum. *Cap. Paſtoralis de ſentent. &* „*re judicata*: de crimine, præſertim gravi, „delato (defenſionis, quæ à jure provenit „naturali) facultas adimi non valet, cum „illa Imperatori tollere non licuerit, quæ „juris naturalis exiſtunt. *Cap. qualiter* 2. „*de accuſat.* Legitur in Evangelio, quod „Villicus ille, qui diffamatus erat apud „Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona „ipſius, audivit ab illo, *quid hoc audio de te?* „*redde rationem Villicationis tuæ, iam non po-* „*teris amplius villicare.* Et in Geneſi Do-„minus ait, *deſcendam & videbo, utrum cla-* „*morem, qui venit ad me, opere compleverint.* „Ex quibus authoritatibus maniſtè proba-„tur, quod non ſolum, cùm ſubditus, ve-„rumetiam cùm Prælatus excedit, ſi per „clamorem & famam ad aures ſuperioris „pervenerit; non quidem à maledicis; ſed „à providis & honeſtis, non ſemel tan-„tum, ſed ſæpè, quod clamor innuit, & „diffamatio manifeſtat: debet coram Ec-„cleſiæ ſenioribus veritatem diligentius „perſcrutari, ut (ſi rei popoſcerit qualitas) „canonica diſtrictio culpam feriat delin-„quentis; non tanquam idem ſit accuſator

„& Iudex, ſed quaſi, denuntiante famâ,
„vel deferente clamore, officij ſui debitum
„exequatur. Licèt autem hoc ſit obſervandum
„in ſubditis: diligentius tamen „eſt obſervandum
in Prælatis, qui quaſi „ſignum ſunt poſiti ad ſagittam.
Et quia „non poſſunt omnibus placere, cum ex officio
„ſuo teneantur, non ſolùm arguere, „ſed etiam
increpare, quin etiam interdum „ſuſpendere, nonnumquam
verò ligare: frequenter multorum odium incurrunt, &
„inſidias patiuntur.„

63 In hæc autem omnia jura impegiſſe videtur Em. Baronius *Tom. 4. ad An.* 393. Quia imprimis *per ſeipſum, neque in principio, neque in medio, neque in fine* cauſam, inter Ioannem ex una parte, & Epiphanium ac Hieronymum ex altera, cognovit; ſed per partem, ſive Epiphanium & Hieronymum dumtaxat, horum ſcripta nudè referendo, & abſque alio examine, tanquam certa & indubitata ſupponendo: imò nequidem illa inveſtigavit diligenter, alioqui judicaſſet, illa vacillare & ſibi non conſtare; Epiphanium per illicitam Pauliniani ordinationem diſcordię fundamentum jeciſſe; ſuſpicionis perverſæ fidei Joannis authorem fuiſſe; Joannem in Sacris Canonibus fundatum, Epiphanium meritò arguiſſe; ipſum & Hieronymum contra Joannem illegitimè proceſſiſſe; Joannem contra illos legitimè, &c. uti infrà, ſed maximè in *cauſa Chriſtorum Dei* n. 17. ad 46. clarius probabitur. Deindè: quia judicavit juxta Epiphanij ſcriptam ſuſpicionem, & Hieronymi in illa ſola fundatam, qua nequidem Epiphanius in judicio niti poterat, ſiquidem ibi *de manifeſtis tantummodò*; qualia non erant eorum ſuſpicioni ſubjecta, *datum eſt judicare*; nam *diſtrictus Iudex ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum*: judicabant enim ex ſola negatione reſponſi ad ſuas fidei interrogationes illegitimas, quæ negatio habet rationes juſtas ſecretiſſimas. Deniquè: quia coram ſenioribus non eſt veritatem diligentius perſcrutatus; ſed quaſi idem, Epiphanius & Hieronymus eſſe poſſet accuſator & judex, ex ſolis ipſorũ ſcriptis judicavit: nec attendit, quòd Ioannes erat Hieronymi Epiſcopus & Patriarcha, qui arguerat Epiphaniũ de illicita ordinatione Pauliniani, Germani Fratris Hieronymi ob eamque Epiphanio & huic illius fautori & in illa cauſa parum iuſta patrono, gravia comminatus erat ac ideò *quaſi ſignum poſitus ad ſagittam* ipſorum, & qui ipſis arguendo non ſolùm non placuerit ſed valde diſplicuerit.

64 Sed turpius impegit P. M. Lupus: quia inſupèr damnando Apologias (quas Em. Baronius videre ante mortem non potuit. Utinam vidiſſet; quia indubiè P. M. Lupo prudentior tum fuiſſet; examinaſſet illas, & utrâque auditâ parte dijudicaſſet) pro Ioanne Patriarcha Ieroſolymitano, haud ſecus quam pro Martino Luthero & Ioanne Calvino, Ioanni, *de crimine gravi accuſato defenſionis (quæ à jure provenit naturali)* per Apologias (quæ ſolæ pro ipſo reſpondere poſſunt) *facilitatem adimit, cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis exiſtunt.* Quòd pro aliquo Hæreſiarcha ab Eccleſia damnato tolerari poſſet; ſed pro vivo & mortuo in opinione ſanctitatis nullatenùs ab Orthodoxo poteſt; cùm haud minùs Epiphanius & Hieronymus, quàm ille, aliquid infirmitatis humanę admittere potuerint, & vix ullus ſit ex antiquioribus Sanctis Patribus, qui cõtra ſuſpiciones aut criminationes Apologiam non egerit vt patebit ex *cauſa Chriſtorum Dei à n.* 104. *ad n.* 112. Undè hîc maximè

ponde-

ponderandum venit illud Farinacij de
hæreſi q.187.§.1.n.2. „An in crimine hæ-
„reſi ad condemnandum requiratur plena
„& concludens probatio an verò ſufficiant
„præſumptiones: dic, quod præſumptiones
„(*quid plus ex litteris Epiphanij & Hierony-*
„*mi?*) non ſufficiunt ; ſed requiritur plena
„& concludens probatio, ut per Albericũ,
„Calder Archidiac. Rojas. Simanc. Lo-
„pez, Carerium, Decianum *&c. patet.*„

65 Secundò: pro accuſatore *cauſ.* 3. q. 11.
cap. non eſt. *Nõ eſt credendum contra alios eo-*
rum confeſſioni, qui criminibus implicantur, niſi
ſe prius probaverint innocentes; quia periculoſa
eſt, & admitti non debet Rei adverſus quemcũ-
que profeßio. Iam autem probatum eſt, Epi-
phanium ordinationi illicitæ Pauliniani,
Fratris Germani S. Hieronymi, implicatum
fuiſſe, quando Joanni 44. Patriarchæ ſuſpi-
cionem perverſæ fidei oppoſuit: unde, ſal-
vô meliori, Em. Baronius tã facilè admit-
tere non debebat Epiphanij ſuſpicionẽ ad-
verſus talem Patriarcham ; præſertim cùm
cauſ. 6. q. 1. *oves* dicatur, *omnis ſuſpicio potiùs*
repellenda eſt, quã approbanda vel recipienda. I-
bid. q. 4. c. nullus. *Nullus Anathematizatorũ*
ſuſcipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab
eis dicũtur, vel conſcribũtur. Eos dico anathe-
matizatos eſſe, quos Epiſcopi ſuis ſcriptis ana-
thematizaverunt aut eorũ ſtatuta anathema-
tizant. Litteras autẽ Epiphanij & Hierony-
mi ſucceſſiſſe ſine tempore poſteriores fuiſ-
ſe à Joanne anathematis aut exilij com-
minatoris, patet ex præmiſſis: ergo Em. Ba-
ronius illis tantã fidẽ habere non debuiſ-
ſet, ut quodammodò illis ſolis inhæreret;
præſertim cũ *cap.* ſequenti *ibid.* dicatur. *Om-*
nes, quos SS. Patrũ ſtatuta, tam præteritis, quã
futuris temporibus anathematizant, ſubmove-
mus & ab omni accuſatione fidelium, maximè
unius talis Patriarchæ, *alienamus.* Quid autẽ
Concilia contra Epiphaniũm illicitè ordi-
nantem decreverint, habes n. 52. Item *ibi-*
dem q. 5. cap. accuſatores. *Accuſatores & Te-*
ſtes eſſe non poſſunt, qui ante heſternũ diem, aut
nudiuſtertius inimici fuerunt, ne irati nocere
cupiant, vel læſi ſe ulciſci velint: inoffenſus igi-
tur accuſatorum & teſtium affectus quærendus
eſt, & non ſuſpectus. Numquid manifeſtè pa-
tet ex Epiſtolis Epiphanij & Hieronymi
contra Joannem, illos, ob redargutam Pau-
liniani ordinationẽ, fuiſſe in Joannem val-
dè cõmotos ac offenſos, & hinc de inimici-
tia poli ſuſpectos Joannis fidem ſuſpectaſ-
ſe. Quomodò igitur Baronnis illis totã fi-
dem dat, nullam Joanni, ſuo munere juxta
Sacros Canones fungenti, *n.* 52. precitatos
& inde ipſos offendenti ? Denique *ibid.* c.
ſuſpectos. „Suſpectos aut inimicos, *&c.* aut
„quorum vita eſt accuſabilis, *&c.* Accuſa-
„tores eſſe & teſtes : & anteceſſores noſtri
„Apoſtoli prohibuerunt, & nos eorum au-
„thoritate ſubmovemus, atque futuris tẽ-
„poribus excludimus. *Ibid. c. canonica.* Ca-
„nonica Sanctorum Patrum ſtatuta (ne co-
„lumnæ Sanctæ Eccleſiæ vacillent) ſe-
„quentes ac roborantes, *&c.* cunctos ſuſpe-
„ctos vel inimicos, *&c.* vel quorum vita
„eſt accuſabilis ab omni accuſatione Epiſ-
„coporum funditùs ſubmovemus.

66 Numquid hæc ſufficere debebãt Em.
Baronio, locô citatô, ut potiùs excuſaret
Ioannẽ Patriarcham, cùm urgeret S. Cano-
nonum ſuprà *n.* 52. citatorũ prævaricatio-
nẽ, & legiſſet in Epiſtola Epiphanij contrà
hunc, quorumdam murmurationes, quod
more Iconoclaſtarum in Eccleſia propè Be-
thel ſcidiſſet *velum, depictam habens imaginẽ*
quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam, inquiens; *cũ*
ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra au-
thoritatem Scripturarũ, hominis pendere ima-
ginem, ſcidi illud, & magis, dedi conſiliũ cuſto-
dibus

dibus ejuſdem loci, ut pauperē mortuum eō obvolverent & efferrent. Unde multùm laborat, ut ipſum ab hæreſi Iconoclaſtarum purget, & faciliùs Ioannem purgaſſet à malè fundata Epiphanij ſuſpicione, quàm Epiphanium excuſarit, ut contra ipſum Ioannem ſequeretur malè fundatam & nunquam probatam Epiphanij, ac Hieronymi ex Epiphanio, ſuſpicionem de Ioannis origeniſmo: præſertim adverſus Prælatos præcipuè hæretici & criminoſi ab accuſatione repellantur. *cap. alieni cum ſeq.* 2. *q.* 7. videaturque Ioannes 44. prius contra Epiphanium ob illam fractam imaginem; poſterius verò ob Pauliniani ordinationem, opponere potuiſſe? Certè non videtur prudens, qui alitèr judicet, cum cap. *Si qui* cauſ. 2. q. 7. ità decernatur. „Si qui „ſunt vituperatores aut accuſatores Epiſ„coporum, vel reliquorum Sacerdotum, „non oportet eos à Iudicibus Eccleſiæ au„diri, antequam eorum diſcutiatur æſtima„tionis ſuſpicio vel opinio.„ Hanc autem ſuſpicionem vel opinionem Epiphanij, & Hieronymi ex Epiphanio, Em. Baronius audivit, & nihil minùs diſcuſſit, ut patet ex præmiſſis, magis tamen ex dicendis infrà: idque contra S. Canones *cauſ.* 2. cap. qualis: *perſonæ inferiorum ordinum in ſuperiorum accuſationem* (ergo multò minùs in ſuſpicionem) *recipiendæ non ſunt.* Epiphanius autem erat ſimplex Epiſcopus, Hieronymus Presbyter tantum; Ioannes verò Hieronymi Epiſcopus & Patriarcha.

67 Nec refert: quòd *ibid.* cap. *oves*, limitatio addatur. *Oves, quæ Paſtori ſuo commiſſæ ſunt, eum nec reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenùs accuſare poſſunt.* Quia Ioannem à recta fide non exorbitaſſe fatetur ipſe Hieronymus in Epiſtola 61. ad Pammachium. *Certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, ut cupio & credo* (nota) *cur non verbis meis meum ſenſum loquitur?* cur non rationem dabimus infrà & in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 13. *ad* 47. & *n.* 70. *ad* 81. Multùm tamen differt ſuſpicio non rectæ fidei ab exorbitantia à recta fide, ut patet; ſed multò magis ab ęquilibrio cum Martino Luthero & Ioanne Calvino, in quo P. M. Lupus ipſum injuſtiſſimè ponit.

68 Antequam tamen procedam vlteriùs: proteſtor, dum in tota hac *Appendice, Monito Chriſtiano* & *cauſa Chriſtorum Dei* Epiphanium & Hieronymum Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani *inimicos* dico, me nolle verbum iſtud in illam pejorem partem ſumere, quâ *inimicus* dicitur is, qui cum Dei offenſâ alterius bonum averſatur, eivè in corde optat malum, &c. ſed in illam, quâ quis ipsô jure ab accuſando, teſtificando, aut judicando contra alterum repellitur: eò quòd Titius v. g. Cajum, conſanguineos aut familiares ejus, gravitèr offendit, ut v. g. litigando, pœnas excommunicationis, exilij, aut ſimiles vexas, v. g. accuſationis, infamationis in re valdè notabili &c. comminando, applicando, faciendo &c. aut ècontra, eò quod Cajus iam multa paſſus in Titium reagat, v. g. de hæreſi ſuſpectando, injuriando, obedientiam & Superiori debitam negando, ab ejus communione ſe ſeparando, & alios ad eandem ſeparationem provocando, ob quas, attentâ infirmitate humanâ, in foro poli, ſive externo contentioſo, inimicitia ſubeſſe præſumitur: quæ præſumptio nullius interiori Sanctitati præjudicat, & ideò in foro merè externo contentioſo, ità locum habet, ut etiam quivis, coram Deo ſanctiſſimus, ab accuſando, teſtificando & judicando contra alterum repellatur: Epiphanium

nium autem ac Hieronymum ex una parte, & Joannem 44. ex altera, fuiſſe hôc ſecundô ſenſu inimicos, manifeſtum eſt ex ſuprà citatis utriuſque Epiſtolis contra Joannem: non enim apparet, cur Sancti interdùm contrarijs non moveantur affectibus, qui judicium diſtrahant, ità ut ſine eorum injuria dici poſſit, eorumdem teſtimonium in tali caſu non eſſe omni exceptione majus, & per ſe convincens; nam Sacri Canones & leges teſtimonia amicorum, propinquorum, patronorum proxænetarum, domeſticorum, &c. quantumcumque aliàs ſint vitæ irreprehenſibilis, reſpuunt; nec unius præcisè, teſtimonium licèt Imperatoris, volunt ſufficere ad judicium.

69 Imò apud Hiſtoricos antiquiores & modernos, nihil conſtantius, quàm. Primò: quod S. Epiphanius & S. Joannes Chryſoſtomus tanquam inimici in foro poli contra ſe invicem egerint: ſiquidem referente Em. Baronio ad An. 402. num. 9. Ex Zozomeno lib. 8. cap. 14. Joanni Chryſoſtomo Epiphanium invitanti, hic „neque „eadem domo uſurum eſſe, neque una pre„caturum cum illo, renuntiabat, niſi libros „(*melius errores*) Origenis & Dioſcorum „una cum ſocijs expelleret: verùm cùm il„le ante cauſam cognitam facere, juſtum „non eſſe diceret, ac proinde differret *&c.* „*ſubdit Baronius* num. 22. *Imprecationes* „*mutuas ex eodem, Socrate & Leone Aug.* quô „tempore inter ſe litigarent, ille Ioanni „proteſtatus eſt. Spero te non moriturum „Epiſcopum. *Et Ioannes viciſſim pr.t:ſtatus* „*eſt.* Et ego ſpero, nec te quidem ingreſſu„rum Civitatem tuam. *Secundò, S. Cyril„lus Alexandrinus, & S. Ioannes Chryſoſto„mus iterum: nam Em. Baronius ibid. num.* „55. *refert hac Cyrilli Epiſtola ad Atticum* „*verba,* Quod ſi concordiam Eccleſiarum „conſeruare minimè contemnendum vi„detur: ſolve id, rogo, quod eam ſcindit: „mitte gladium in vaginam ſuam: jube ex „Epiſcoporum nomenclatura Ioannis no„men eximi: nam ſi parvi id facimus, non „affert dolorem Apoſtolorum choro Judas „proditor, in eodem cum ordine cenſus. „Iudæ autem nomine in eodem numero „relato, quô deinde nobis Matthias repo„netur, *&c.* Num. *autem* ibid. 60. *ſubdit,* „Conſideres hìc velim, Lector, quàm in„fenſiſſimo animo Cyrillus in Ioannem „Chryſoſtomum fuerit, qui nec defuncto „pepercerit, & acre bellum iam ornaret „adverſus eos, qui pro reſtitutione ipſius „nominis laborarent. *&* num. 62. *Ex* „*Epiſt. Iſidori ad Cyrillum.* Vt ergo & ego „non judicer, ipſeque non judiceris à Deo: „depone contentiones ob injuriæ propriæ „ultionem; ne viventem Eccleſiam diſſi„pes, ut æternam diſſentionem ei, ſub pie„tatis prætextu concinnes. *Et ſic de non„nullis alijs.*„.

70 Quibus meritò junges. *Primò*: Epiphanium adverſus Joannem exiſſe tanquàm hujus *inimicum*, declarante Hieronymô *Epiſt.* 61. ad Pammachium cap. 1. „Sci„mus omnes, quid tibi ſcripſerit, quid in„te arguerit, in quo, ut tu vis calumniatus „ſit: reſponde ad ſingula, per Epiſtolæ hu„jus gradere veſtigia; ne punctum quidem „& apicem calumniæ pertranſeas: ſi enim „egeris neligenter, ut & ego tibi credo „juranti, caſu aliqua tranſieris, ſtatim ille „clamabit & dicet (*utique Epiphanius.*) Hìc „hìc te victum teneo: hìc totus cardo „negotij verſatur. Non æquè inimici au„diunt, & amici. Qui inimicus eſt (*utique* „*Epiphanius*) etiam in ſcirpo nodum quæ„rit, *vide infrà num.* 38. *in fine. Secundò*:

„*Etiam Hieronymum* ibidem, *ubi declarat ſe* „*Ioannem* 44. odiô immortali perſequi, *his* „*verbis*: Nunc è diverſo, ſuper omnia no-„ſtros adverſarios immortali odiô perſe-„quimur: blaſphemantibus Deum, clemen-„tem porrigimus manum. Scribit (*ſcilicet* „*Ioannes*) ad Theophylum Epiſcopum „Apologiam, *&c.* vide infra *n.* 77.

71 Neque hæc fori purè externi contentioſi inimicitia per hoc tollitur, quod quiſpiam, coram Deo *ſanctus*, proteſtetur ſe, abſque odio & rancore, ex pura charitate & zelo ſalutis, procedere; quia hoc ipſum in foro poli præſumitur in quocumque ſuſpectum. Igitur hôc ſolô ſenſu verbum *inimicus* hîc, ad majorem juris expreſſionem, accipimus, nec aliô ſenſu à quoquam noſtram acceptionem intelligi volumus.

72 Tertiò: Pro teſte repellitur inimicus: quod patet *primò*: à fortiori ex juribus citatis pro repellendo accuſatore inimico; quia major habetur fides teſti, quàm accuſatori. Baronius autem contra Ioannem 44. tanquam de Origeniſmo ſuſpectum, non profert aliud teſtimonium aut accuſationem, quàm Epiphanij & Hieronymi inimicorum ejus, ſenſu datô *num.* 68. ab accuſando & teſtificando contra Joannem rejectorum. *Secundò*: ex cap. veniens de teſt. & atteſt. *Nos tuam ſententiam commendamus, eò quod ille, qui eodem erat infectus crimine* (numquid vidimus *n.* 66. Epiphanium fuiſſe tunc de Iconoclaſtarum hæreſi ſuſpectum?) *inde contra eum teſtificari non poſſet: nulliq́; de ſe confeſſo* (numquid ipſe Epiphanius de ſe ſuſpicionem ſuam confitetur in Epiſtola ad Joannem?) *adverſus alium in eodem crimine* (præſertim non fundato, nec probato, ſed à Parte adverſa merè contra actionantem quæſito, uti infrà videbitur) *ſit credendum: nec unius teſtimonium* (prout ſolius Epiphanij in hac de perverſa fide Joannis ſuſpicione; nam Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium in illa ſuſpicione contra Joannem totus ſe fundat) *ad condemnationem ſufficiat alicujus.* Quâ igitur conſcientiâ Em. Baronius contra Joannem credit Epiphanio in codē crimine confeſſo, & illius ſolius teſtimonium ad Ioannis condemnationem ſibi ſufficere putat? *Tertio*: ex cap. in omni teſtimonio *ibid.* „In omni negotio principalis perſona, dicens veritatem de re ſibi „nota rectiſſimè, habenda eſt pro teſte, cui „adhibito uno efficiuntur duo teſtes, adhibitis duobus efficiuntur tres: quod patenter oſtendit Dominus cùm dicit: „Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: quod ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duos teſtes, ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. *Idem alibi affirmat dicens*: Ego ſum, qui teſtimonum perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me Pater: nam in lege veſtra: ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum eſt. *Quarto* ex leg *jusjurandi* cod. *eodem.* ex quibus formata eſt regula generalis, quod *dicto unius* (etiam Cæſaris, ut patet ex cap. *in omni* ſtatim, & cap. *paſtoralis* nnm. 22. citato) *non eſt credendum. Quia vox unius, vox nullius.* Uti probat è commendatiſſimis totius Eccleſiæ modernis Prælatis, ex Romano, *ſingul.* 622. incipiente *dictum unius*, D. Fagnanus *in cap. Ne innitaris num.* 409. & *ſeq.* Ubi addit, *quantumcumque ſit fide dignus*, ut *cap.* à nobis, & ibi Abbas num. 1. pergit: *Et ideò non creditur magno Doctori atteſtanti de conſuetudine, ſeu de communi uſu loquendi* (multò minus de ſiniſtra fidei ſuſpicione, de qua

qua Epiphanius, aut Hieronymus nequidem atteſtantur eſſe *communem*, ſed oppoſitum) *ut de Bartolo notat* Baldus *in leg.* 11. quidam §.quod dicitur *in fine.* ff. *de acquirenda hæreditate.* Decius *conſilio* 472. Card. Zarabel *conſil.* 77. ubi ſcribit, *ſe nulli unquam voluiſſe in opinionibus* (præſertim ità injurioſis, & in caſu, apparentis ſaltem, inimicitiæ) *credere, niſi urgente ratione.* Archidiaconus in cap. *nolite timere,* apud Fagnanum ibidem. *Cuicumque magno Doctori non habeo credere, niſi ſuum dictum* (præſertim in ità injurioſis,&c. ut dixi) *approbetur per authenticam ſcripturam.* Joannes Lupus in repet.cap.*per veſtras* §. 20. art. 3. nu. 12. *Non eſt credendum Doctoribus,quantumcumque doctrinâ polleant,dum carent fundamẽto.* Unde Barboſa *de offic.& poteſt.Epiſ. p.* 3. *Alleg.* 112. *num.* 3. Epiſcoporum accuſatio non eſt facilè recipienda; dicit enim *Apoſt.* 1. *ad Thim.* 5. adverſus Presbyterum accuſationem non recipiendam, abſque duobus vel tribus idoneis teſtibus, quantò magis adverſus Epiſcopos, ut aït Sixtus Papa in *cap.accuſatio Epiſcoporum* 2. *q.* 7. etiam in caſu hæreſis, ut ſtatim videbimus.

73 Subdit autem Proſper Farinacius *lib.* 11. *de oppoſ.* contra perſonam teſtis tit. 6 q.53. num. 5. *ut regula procedat,etiam in criminibus exceptis, ut puta hæreſis, læſa majeſtatis, ſimonia, ac aliis ſimilibus, & graviſſimis delictis; nam & in iis inimici non admittuntur in teſtes, per text.* in c. per tuas, *ubi Io.de Ana.& communiter alii,* ext. de ſimon. voluerunt *Specul.* in tit. de accuſ. §. 1. in fin. *Ang. & Alban.* l. famoſi. ff. ad l. Iul.majeſt. *Bart.* in l. in quæſtionib. ff. eod. *Marſi.* in l.1.§.præterea, *poſt num.* 1. *& ſeq.* ff. de q. & in l. de minore, in princ. nu.8. ff. eodem. *Gram.* conſ. 46. num. 8. & 9. & voto 3. num.30.31. & voto 11. nu.17. *Aſflict.* in c. 1. §. & bona committentium, num. 9. tit. quæ ſint. regal. in uſib. feud. *Guindiſal.* in tractat. de hæretic. q. 13. n.13. *Feder.* de Sen. conſil. 252. reverendo in Chriſto Patri, prope finem. *Oldrad.* conſ. 210. nu. 7. *verſicul.* ſunt etiam. *Marſi* conſ. 65. num.20. *Crot.* de teſtib. part.3. nu.97. in prima & ſecunda ampliatione. *Gigas* de crimin. læſæ majeſt. lib. 2. tit. quom. & per quos crim. læſæ majeſt. prob. 72. n.1. & 2. *Campeg.* de teſtibus, reg.26. in princ. *Vbi quod inimicus repellitur, etiam in caſibus, ubi alias inhabiles admittuntur.* Ant. Gom. var. reſol. tom.3. cap.12. rubr. de proba. delict. num.14. verſ. & in tantum hoc eſt verum, *Corra.* in prac. d. rub. de teſtibus §. perſonas teſtium aſſumendo, num. 65. ad medium verſ. addit tamen. *Rol.* conſ.24. num.30. lib.1. & conſ.65. num.28. lib.4. *Menoch.* de arbit. q. lib. 1. q.28. num.2. & ſeq. *Vulpel.* conſ.12. num.10. *Bertaz.* conſ. 38. num.16. lib.1. & conſ.528. nu.5. lib.2. *Clar.* d.q.24. verſ. item quæro, *Burſ.* conſ. 346. num.11. in fi. *Maſc.* de prob. lib. 1. concl.462. num.31. & lib. 2. concl. 857. num.40. & ſeqq. *ubi loquens præcipuè in crimine hæreſis, teſtatur de communi opinione, quidquid in contrarium ſenſerit Nicol. Arelatan.* in tract. de hæret. notab.10. non ignoras; num. 2. *cujus rationibus benè reſpondet ibidem. Maſc.* num. 45. *verſ.* verumtamen, & num.46. & concluſ.899. num. 2. eod. lib.2. & concl.1313. num.7. & 8. lib.3. *ubi & idem in crimine ſodomiæ,* Tib. Dec. inter ſuos tract. crim. lib. 3. cap. 25. num.6. par. 1. *Sin. inimicus repellitur ab accuſando etiam in criminalibus exceptis,* ut dixi in 1. lib. tit. de accuſ. q. 12. num. 39. ſeq. *multò magis erit repellendus à teſtificando, cùm majoris ſit præjudicii ob majorem fidem, quæ datur teſti*

potius;

potius,quàm accuſatori. Et in crimine blaſphemiæ, quod omnibus alijs atrociſſimum eſt, nec inimicos teſtes admitti voluit. Gram. conſ. 15. num. 12. *quem in propoſito refert, & ſequitur Decian.* in tract. cri. tom. 2. lib. 6. c. 4. n. 8. Item de Hæreſi q. 188. num. 108. *à teſtificando repelluntur non ſolùm inimici, ſed etiam ſuſpecti de inimicitia, & ſic præſumpti inimici, ut puta amici ſubditi aut conſanguinei capitalis inimici:* Et dum recipiuntur reconciliati *illis non eſt credendum, niſi legitimo adminiculo adjuveutur.* Calder &c.

74 Item præcit. q. 53. num. 12. *ut inimicorum teſtimonium non ſolùm non probet plenè, ſed nec etiam ſemiplenè, imò nec faciat indicium aut præſumptionem aliquam Bal.* conſ. 36 præſuppoſito ſtatuto, col. 1. lib. 4. *Marſi.* conſ. 15. num. 6. *Aym.* conſ. 9. nu. 6. *Gig.* qui alios adducit concordantes in tract. de cri. læſ. majeſt. lib. 2. tit. quom. & per quos crimen læſ. majeſt. prob. q. 2. num. 38. *Menoch.* de arbit. q. lib. 1. q. 28. num. 5. *Rol.* conſ. 95. nu. 29. lib. 4. *Bertaz.* conſ. 8. num. 44. *Burſa.* conſ. 20. num. 54. lib. 1. *ubi teſtatur de communi opinione prout illum refert Bonac.* in ſuis comm. opin. cri. part. 2. verſ. inimici non probant. *Cùm n. teſtis iſte non debuiſſet examinari, ut probatum eſt in regula, ſuccedit altera pariter, & communis concluſio, quod examinatus non facit indicium,* ut per Gram. conſ. 42. num. 4. & 5. & conſ. 28. num. 14. *& dicam latius infrà* in materia teſtis inhabilis, *q.* 62. num. 283. Ita ille loco citato

75 Quomodò igitur ad ſuſpicionem ſolius Epiphanij (nam aliam non fuiſſe, ſed in illa ſolum ſe fundaſſe Hieronymum, patet ex ejus Epiſtola *ad Pammachium*, cujus verba infrà citabimus) potuit Em. Baronius juſtè virum talem, qualis *ſuppoſito 4. num.* 50. canonicè laudatus eſt, ità judicare & condemnare? Quomodò P. M. Lupus auſus eſt, nullis adductis rationibus aut fundamentis, eum Martino Luthero & Joanni Calvino comparare? Neſcio: nam Farinacius *de hæreſi q.* 188. §. 4. *nu.* 64. ſic ſcribit. „Regula ſecunda ſit: „quod in crimine hæreſis unus teſtis ad „condemnandum non ſufficiat, ut plenè „ſcripſit Simanchas &c. Amplia hanc re„gulam, ut in crimine hæreſis teſtis unus „non ſufficiat ad condemnandum, etiam „junctâ famâ. *In ſum.* Sylveſtri. *verbo* hæ„reticus. Rupert. Inquiſ. Simanchas *& „alij, quos citat. Reſpondet tamen in ſimili, „ſententia Innocentij tertij* cap. *cum dilectis „de calumniatoribus.* Cùm autem proceſſum „negotij examinaverimus diligenter, nec „intelligere potuerimus probatum eſſe ſuf„ficienter aliquod de prædictis, eundem „Epiſcopum abſolvendum decernimus ab „objectis: vobis mandantes, quatenus me„moratum N. donec canonicè ſuam pur„gaverit innocentiam, ſcilicèt, quod non „calumniãdi animo ad hujuſmodi crimina „proponenda proceſſit; ab officio & bene„ficio ſuſpendatis, ut cæteri ſimili pœna „perterriti ad infamiam ſuorum non facilè „pertranſeant Prælatorum.„

76 Intereà inquies, enormiter læſa manet viri Sancti, ut ajunt, fama & honos Patriarchalis, & in ipſo totus Carmelitarum Ordo non modicam patitur injuriam. Verè quidem: ſed, hâc Appendice viſâ, ſpero fore, ut omnes dicant cum Evariſto Papa cap. *ſi qui* cauſ. 2. q. 7. „Si qui ſunt vituperatores aut accuſatores Epiſcoporum, „vel reliquorum Sacerdotum, non oportet „eos à Judicibus Eccleſiæ audiri, ante„quam eorum diſcutiatur æſtimationis „ſuſpicio vel opinio, quâ intentione, quâ „fide, quâ temeritate, quâ vitâ, quâ con„ſcientiâ,

„ſcientiâ, quôvè meritô, ſi pro Deo, aut „pro vana gloria, aut inimicitia: vel odio „aut impuditate, illa præſumpſerint, nec „nè. „ Quòd bene & juſtè obſerverunt omnes præcitati *num.* 50. utinam & poſt illos P. M. Lupus, cui tamen non ſtatim ab Innocentio & ab alijs maximam decretam pœnam, ſed omne bonum exopto. Subdit Barbòſa de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 112. num. 2. *Epiſcoporum igitur cauſas à Romano Pontifice* (cui æquales Em. Baronius & multò minus P. M. Lupus ſe non præſumunt) *Sedeq́; Apoſtolica,& non ab alio, finiri, vel ab Apoſtolicæ Sedis conſtitutis Iudicibus cognoſci oportere.* Traditur in cap. *Inquiſitores de hæret. in 6.* cap. *nullam* 2. q. 5. Ex quo Farinacius de hæreſi q. 186. §. 5. num. 14. *Inquiſitor, non ſolum non poteſt Epiſcopum hæreticum declarare & punire, ſed nec poteſt etiam contra ipſum inquirere, aut procedere.* Textu in cap. *Inquiſitores* &c. ubi ad litteram dicitur, *Inquiſitores hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica Sede ſeu alio, vel alijs cujuſlibet deputati, de hujuſmodi crimine inquirere contra Epiſcopos nequeunt, aut ejus prætextu procedere contra eos.*

SEPTIMUM.

77 SUppono ſeptimò: EpiſcopumCoepiſcopo non teneri reddere rationem ſuæ fidei, prout expreſſum eſt lege generali juris civilis ult. de Juriſdictione, *extra Territorium jus dicenti impunè non paretur.* Id eſt licitè contemnitur. Unde immeritò Hieronymus in Epiſtola *ad Pammachium* Joannem 44. ſic arguit. *Quæ hæc eſt tanta arrogantia, non reſpondere de fide interrogantibus* (certè hæc verba non ſonant magnam Hieronymum inter & Joannem 44. amicitiam; ſed relativa videntur ad priora. *Ille,* Epiphanius, *clamabit & dicet, hic, hic te victum teneo, hic totius negotij cardo verſatur. Non æquè inimici* (nota) *audiunt ac amici. Qui inimicus eſt* (nota) *etiam in ſcripto nudum quærit.*) Et infrà *Præſto ſunt Epiſtolæ Epiphanij. Vna ad ipſum,* ſcilicèt Joannem, *alia ad Epiſcopos Palæſtinos: & nuper ad Romanum Pontificem, in quibus dicit ſe coram multis de dogmatibus arguentem non meruiſſe reſponſum.* Vide ſolutionem *n.* 60. & in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 41. & 44. Deindè manifeſtum ex cod. lib 7. tit. 47. *de Iudice non competente*, & Farinacio ex textu *in cap. Inquiſitores*, tit. *num.* 76. neque Epiphanium, neque Hieronymum, qui Parochianus erat Joannis 44. hunc de fide ſua legitimè & competenter interrogaſſe, vt patet ex premiſſis *n.* 72. & 76. ſed tam fuiſſe illegitimos abſque commiſſione Superioris, & non competentes interrogatores Joannis Epiſcopi ac Patriarchæ, quàm fuerint ejus Judices non competentes: ac proindè Joannem, nullâ arrogantiâ, ſed magnâ juriſprudentiâ, noluiſſe reſpondere, & reſponſum urſiſſe, temeritatis nota non vacaſſe, ut patet; præſertim attentô dictô Evariſti Papæ cap. *ſunt* cauſ. 2. q. 7. *Sunt nonnulli, qui Præpoſitos ſuos perverſè reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint.* Et *ibid.* cap. *qualis*, & cap. *Oves.* num. 23. citatis. Eſt autem lex præcitata *ultima de Iuriſdictione* expreſſis terminis canonizata. *in cap. ut animarum de Conſtitut. in 6. Extra territorium jus dicenti non paretur impunè*: Ergo à fortiori ſine ulla juriſdictione Hieronymò ſibi dicenti jus interrogandi Ioannem, ſuum Epiſcopum & Patriarcham, ipſe Ioannes non paruit impunè. Quarè abſolutè in terminis generalibus ſtatuunt Pontifices, *Anacletus* Epiſt. 1. cap. 3. *Hyginius* Epiſt. 1. cap. 4. *Fabianus*

nus Epiſt. 3. cap. 2. & alij, *Epiſcopum non debere alibi, quàm in ſuo foro audiri.* Hoc eſt, vel apud Metropolitanum ſuum, vel provinciale Concilium: nam juxta Barboſam de off. & poteſt Epiſc. p. 3. alleg. 112. num. 9. noviſſimè Hieron. vener. & layva, in Exam. Epiſc. lib. 4, c. 18. num. 1. 7. & 8. *Quamvis jure antiquo, ſi contingeret criminaliter agi contra Epiſcopum, & crimen poſtularet depoſitionem ab Ordine & dignitate Epiſcopali, examinanda erat cauſa ab omnibus Epiſcopis totius provinciæ, unà cum Metropolitano* (allegent D. Baronius & P. M. Lupus, ubi id, & quando factum.) *Vel ut minimum à* 12. *Epiſcopis ultra Metropolitanum, ut notat gloſſa, in* Sum. *verbo* quod autem 3. q. 8. *textum in cap.* ſi quis Epiſcopus *6. q.* 4. Patriarcham verò, uti Ioannes erat, ſi non ſimul Metropolitanus, quod tamen ſufficienter videtur probatum *num.* 14. ſaltem Patriarchali honore, ut patet ex *ſuppoſito ſecundo* & *tertio*, ſuprà Metropolitanum ſuffultus, à ſolo Papa, ut vidimus, aut Papæ Commiſſarijs. Ex præmiſſis autem.

78 Sic argumentor. Suppreſſis, aut non poſitis, litteris quatenus Epiphanij & Hieronymi adverſus Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum, hic Ioannes 44. attentis præmiſſis *ſuppoſitô* 4. *num.* 50. & fuſius in Monito Chriſtiano a *n.* 2. *ad* 18. nec ſcientiâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtimoniô, eſt multò minor Epiphanio & Hieronymo, licèt ſit illis dignitate Patriarchali ſuperior; aut ècontra, Epiphanius & Hieronymus, nec ſcientiâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtimoniô, ſunt multò majores Ioanni 44. & aliundè ſunt illo inferiores dignitate Patriarchali: atqui, vel pro ſuppreſſis, aut non poſitis, quatenùs Epiphanij & Hieronymi adverſus Ioannem Patriarcham Ieroſolymitanum, ab omnibus haberi debent; vel omnia jura præcitata, ac ferè totum jus Canonicum de judicijs, accuſationibus & teſtibus, corruunt: ergo illæ litteræ, quatenùs &c. pro ſuppreſſis aut non poſitis, ſed à quodam malevolo ſuppoſitis, haberi debent: niſi benigne intelligantur ſecundum explicationem dandam in *cauſa Chriſtorum Dei* a *n.* 15. *ad* 46. at proinde Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, attentis præmiſſis *ſuppoſ.* 4. ita extolli, ut nec ſcientâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtimoniô, multò minor Epiphanio & Hieronymo habeatur, ſitque his dignitate Patriarchali ſuperior; aut ècontra ita, ut Epiphanius & Hieronymus, nec ſcientiâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtiniô habeantur multò majores Ioanne 44. tamen ſint illo inferiores dignitate Patriarchali.

EX-

EXAMEN ET REFUTATIO PRIMA

Criminationis P. M. Chriſtiani Lupi adverſus Joannem 44.

§. I.

Eâdem viâ errores ſuos conatus eſt fucare

79 PRimò : *errores ſuos.* Quos errores? Nullos adfert, nec determinatè poſſet, præter Hieronymi & Epiphanij infamationes, de quibus poſteà. In qua Synodo aut Concilio adverſus Joannem Jeroſolymitanum, ante aut poſt mortem ejus, propoſitos, examinatos aut damnatos? Omnia tacet: nec mirum; quia nec ipſe, nec alius ullum tale vidit, aut legit unquam. Imò ipſe Hieronymus in Epiſtola *ad Pammachium* contra errores Joannis, fatetur Joannem nullam hæreſim Eccleſiæ diſplicentem defendiſſe, *non erat tam ſtultus, ut apertè defenderet hæreſim, quam ſciebat Eccleſiæ diſplicere.* De his fuſiùs in *cauſa Chriſtorum Dei.* Secundò. *Eâdem viâ conatus eſt fucare.* Quâ viâ? *An defendendo ſe non eſſe ejus dogmatis, cujus arguitur,* uti Marcellus Ancyræ Epiſcopus? *An defendendo ſe non ità ſenſiſſe, uti arguitur,* uti Priſcillianus? Neutrum reperiet in ſcriptis Joannis; Neutrum ab Epiphanio, Hieronymò, aut alio Joannis adverſario, in Ioanne reprehenſum, aut Ioanni objectum: injuſtèque in eo reprehenderetur, aut id ei objiceretur, niſi aliundè conſtet, vel probetur erratum: hoc autem non probat P. M. Lupus; neque de illo aliundè conſtat, quàm ex Epiſtolis Epiphanij *ad Ioannem,* & Hieronymi *ad Pammachium contra Ioannem,* quæ præter ſuſpicionem erroris à ſe primò inductam, uti infrà in *cauſa Chriſtorum Dei* convincitur, nihil concludunt.

§. II.

Qui hodiè pro Ioanne Ieroſolymitano Apologias in Eccleſiam ſpargunt, lavant Æthiopem.

80 TErtiò *Lavant Æthiopem.* Rogo: An P. M. Lupus Apologias pro Ioanne Ieroſolymitano in Eccleſiam ſparſas à Doctiſſimo P. M. Waſtelio, à ſapientiſſimo P. M. Lezana & alijs legerit. Legit, vel non legit? Si legerit, cur ipſorum argumenta non ſolvit, ut vitet calumniam ſapientiæ ſuæ Doctorali parùm convenientem. Si non legerit, cœcus judicat de coloribus, quod nequidem pictores faciunt, ſive juxta Adagium Eraſmi *Epiſt.* 11 ad Barbirium, *tantum*

 tum

tum ſapit in illis, quantum de pictura Camelus. Imò Seneca, etiamſi Ethnicus, contra clamat, *qui ſtatuit aliquid, parte inauditâ alterâ, æquum licèt ſtatuerit, haud æquus fuit.* Vide dicta *ſuppoſ.* 4. *n.* 50. *&* 51.

81 Ubinam *Æthiopem* videt Ioannem 44.? Apud Auguſtinum, dicentem *lib.* 2. contra litteras Petiliani cap. 5. *Cathedra quid tibi fecit Romana Eccleſia, in qua Petrus ſedit, & hodiè Anaſtaſius ſedet; vel Eccleſia Ieroſolymitana, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodiè Ioannes ſedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur?* Minimè; quia ibi Ioannis innocentiam & fidei puritatem commendat, uti Anaſtaſij Papæ. Imò gloriatur ſe fidem & communionem tenere Ioannis Ieroſolymitani; & tamen noverat diſputationem iſtorum Sanctorum: ſed uti ſapientiſſimè ſcribit Epiſt. 3. ad Fortunatianum: *Neque quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas, habere debemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divinô adjutoriô, vel ab alijs intellecta, vel à nobis: talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.* Vide infrà *Monitum Chriſtianum*] à n. 2. ad 18. ubi obſecro, P. M. Lupus vidit Ioannem 44. Æthiopem? Apud SS. Epiphanium & Hieronymum, Em. Card. Baronium & Bellarminum, aut Hiſtoriæ Sacræ tomum 9. Minimè, ut patebit in *cauſa Chriſtorum Dei* infrà.

§. III.

Compeſcendique ſunt, ut ingenia libertina & noxia.

82 QUæro primò: qui Libertini? Sic eos bene definit „Theodoretus *in Pſal.* 11. Sermones „metiri neſciunt, neque divinas leges reſ„picere volunt: ſed effrænato ore utentes, „cum audacia quidquid volunt loquun„tur, divinam patientiam deſpicientes, nec „ſub Dei poteſtate ſe eſſe cogitantes. Ta„lis fuit Pharao, ideoque dixit: *non novi Do„minum,* &c. *Irenæus verò lib.* 2. *cap.* 24. In „tantum inſaniâ effrænati ſunt, ut omnia „quæcumque ſunt irreligioſa & impia, po„teſtatem ſe habere operandi dicant, ſola „enim humana opinione differre negotia „bona, *&c.* ſecundùm opinionem homi„num quædam quidem bona, quædam au„tem mala, vocari aſſerunt, cùm nihil na„turâ malum ſit.„

83 Numquid fortè P. M. Lupus vult P. M. Waſtelium & Eximium D. Colvenerium Doctorem Duacenum, qui ejus pro Ioanne Apologiam approbavit; P. M. de Lezana, & Magiſtrum S. Palatij, qui Romæ, ubi ſedet Summus Pontifex, hujus pro Ioanne Apologiam imprimi mandavit; Pontifices, ac ſpecialiter Anaſtaſium ſtatim citatum, qui Ioannem admodùm commendarunt; Auguſtinum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Martyrologiorum Scriptores multos, qui Ioannem inter Sanctos connumerarunt; celeberrimos Doctores, qui ejus fidem & merita ab omni umbra ſiniſtræ ſuſpicionis liberarunt, ut vidimus ſuprà *Præamb.* 3. *ſuppoſ.* 4. & infrà *in*

Monito Chriſtano à n. 2. ad 18. fuſius, eſſe de iſtorum genere libertinorum ? Abſit ut de iſto mihi cordialiſſimo viro talia cogitem.

§. IV.

Niſi brevi etiam, &c.

84 QUintò : *Niſi brevi etiam pro Martino Luthero, & Ioanne Calvino velimus Apologias videre.* Ergo putat P. M. Lupus in Scriptis Ioannis Ieroſolymitani, uti in Lutheri & Calvini libris, apertas hæreſes contineri? Illas proferat;nullus unquam vel unam protulit, licèt in foro poli *inimicus*, ut Epiphanius, ſenſu datô *num.* 68. Hieronymus, & horum ſectatores alij. Ergo putat Ioannem Ieroſolymitanum in aliquo Concilio Generali aut particulari, à S. Sede Romana approbato, anathematizatum, uti fuère in erroribus ſuis Lutherus & Calvinus in Concilio Tridentino ? Producat Concilium : nullus unquàm, etiam inimiciſſimus, tale produxit. Et cap. *litteras* 14. *de praſumpt.* dicitur *propter ſolam ſuſpicionem (quamvis vehementer) nolumus illum* (aſſertum à fratre chariſſimo hæreticum) *de tam gravi crimine condemnari.* Suſpicio autem illa de Ioanne non fuit à *fratre chariſſimo* ; ſed ab Epiphanio Ioannis in foro poli inimico : non fuit *vehemens*, ſed quæſita, & ſine ullo allato aut adſeribili fundamento levis, ac ab ipſomet Hieronymo falſitatis evicta & rejecta ; ſive accuſationi, tamquam quæſitæ & frivolæ, nihil deferente Syriciô Papâ, ſive hanc ipſam improbante Theophylo Patriarcha, ad quem, tamquàm ſummi Pontificis in iſtis partibus Vicarium Ioannes 44. ſuas querelas miſerat.

85 Legitnè P. M. Lupus in Sacris alicujus Eccleſiæ Romanæ Dyptichis nomen Martini Lutheri, aut Ioannis Calvini, prout nomen Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani inviolatè Orientalibus inſcriptum, teſte Epiphanio ejus adverſario ſuprà *num.* 100. citato, legitur. Nomen S. Cyrilli, S. Chryſoſtomi & nonnullorum aliorum, aliquandò inſcriptum, & poſteà expunctum dabit ; de Ioanne neutiquam, oppoſitumque probant præmiſſa *ſuppoſito quarto.* Intereà hunc cum Martino Luthero & Joanne Calvino componit, quod reverà nullatenùs cohæret ejus Notis & Scholijs *ad Canones quinti Concilij Generalis cap.* 8. *differt.* Ubi ſic ſcribit. *Omnium fidelium, Epiſcoporum præſertim, in Eccleſia pace defunctorum nomina bonoratis tabulis inſcribere, & indies ſolenniter ad Miſſarum ſolennia Altare & recitare, eſt antiquiſſima omnium ſub cœlo Eccleſiarum conſuetudo, & Apoſtolicum inſtitutum, de quo in Apologia pro ſancto Dyonifio Patriarcha Alexandrino ſcribit adverſum ejus criminatores Arianos ſanctus Athanaſius*: Magni certè argumenti eſt, nihil eos verè dicere, & calumnijs virum premere, quod ille nunquam ab alijs Epiſcopis de impietate convictus eſt ; neque hæreſim propugnando ab Eccleſia receſſit, ſed in ea cum pietate obdormivit ; quodque ejus memoria hactenùs cum Patribus hucuſque celebrata eſt, & in Cathalogum relata. Qui ſi cum iſtis ejuſdem opinionis

 fuiſſet.

fuiſſet, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, paſſurus fuiſſet. *Expunctus fuiſſet de tabula piorum Epiſcoporum. Et ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcribit in literis, poſt Synodum Chalcedonenſem exſtantibus contra Timotheum Ælurum ſuum, Pſeudo-Patriarcham Synodus Ægyptiacæ diœceſeos, Ep. 23.*

86 Dicat igitur. *Primò*, P. M. Lupus: ubi & quandò, ante aut poſt mortem Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, nomen ejus ſacris Dyptichis inſcriptum, fuerit eraſum. *Secundò.* An ſi Martino Luthero & Joanne Calvino ſanctior & in Romana fide non ſolùm irreprehenſibilior, ſed irreprehenſibilis non vixiſſet, nomen ejus ante vel poſt mortem è ſacris Dyptichis eraſum non fuiſſet? *Tertiò.* An non juxta Apologiam S. Athanaſij pro S. Dionyſio Patriarcha Alexandrino, *Magni certè argumenti eſt, nihil P. M. Lupum, verè dicere, & calumnijs Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum premere, quod ille ab alijs Epiſcopis nunquam de impietate convictus eſt,* (licèt ab Epiphanio & Hieronymo ſuſpicione merè quæſitâ, ſibi ſuprà probatum eſt, ſuſpectus) *neque hæreſim propugnando ab Eccleſia ſeceſſit* (imò nequidem fuit unquam de illius ſuſpicione authoritate alicujus ſe Superioris monitus;) *ſed in ea cum pietate obdormivit; quodq́; ejus memoria hactenus cum Patribus huc ſque celebrata eſt, & in Catalogo relata, qui ſi cum Origene vel alio Hæretico ejuſdem opinionis fuiſſet, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, paſſurus fuiſſet*: ſive ut addit, *Expunctus fuiſſet de tabula piorum Epiſcoporum.* Igitur: vel fallit P. M. Lupus, vel fallit S. Athanaſius. Non fallit S. Athanaſius: ſed P. M. Lupus per hæc, quæ ibi dicit, contradicit alijs, quæ ità ſordidè de Joanne 44. Patriarcha Jeroſolymitano ſcripſit, Lutheranis & Calviniſtis contra antiquiſſimas Græcorum Liturgias arma ſubminiſtrat, & Innoxij expunctione è tabulis graviſſimum crimen, ſe judice, committit.

Præmiſſum EXAMEN ET REFUTATIO PRIMA PSEUDOGMATIS R. P. M. LUPI, ADVERSUS IOANNEM 44. longè fuſiùs habetur in prima impreſſione. Sed cùm præcipua illius fundamenta accuratiùs diſcuſſa, CAUSAE CHRISTORUM DEI, infrà defendendæ, inſeri oportuerit, brevitati conſulentes, curioſum Lectorem pro iſto *Examine & Refutatione* ad iſtam Impreſſionem remittendum judicamus. Spargunt quidem P. M. Lupus & fautorum ejus nonnulli, me Tomum ejus, in quo erravit, antè evulgationem per ſingula folia habuiſſe, mihiq́ue tribuunt IMPERTINENS, de quo infrà IN CAUSA CHRISTORUM DEI; ſed frivolæ ſunt excuſationes in peccatis, proteſtorq́ue coram Deo utrumque falſò ſpargi. Ego enim, nec ſingula folia habui, nec errorem cognovi antè totum Opus, ſive utrumque Tomum, aliquamdiu evulgatum, nec IMPERTINENS illud ſuggeſſi, aut imprimendum ſcivi. Quid? Adeonè fuiſſem S. Ordini meo, cujus honorem ex voto zelare cogor injurioſus, ut hunc mallem lædi permittere, & læſum per Apologiam diminutè reparare, quàm præviâ monitione Authoris mihi amiciſſimi integrè illius infamationem maximam impedire? levis erit corde, qui ità credet; credat interim P. M. Lupus alios eſſe in Ordine noſtro, qui zelum honoris ejus ſecundùm ſuam profeſſionem zelent, & non miretur, ſi hinc inde ſuæ infamationi non ſatis circumſpectæ, & à ſe principijs evidenter falſis propugnatæ, IMPERTINENTIA PERTINENTIA à zelo zelatis pro S.

Ordinis ſui honore opponantur. Igitur R. P.M. Lupus Apologeticum noſtrum Reſponſum patienter ferat, niſi poſt Hieronymum *Epiſt.* 16. *ad Auguſtinum*, adire velit: *Nec ego tibi; ſed cauſa cauſa reſpondit: & ſi culpa eſt reſpondiſſe, quaſo ut patienter feras; multò major eſt provocaſſe.*

FINIS

FACVLTAS
REVERENDI ADMODUM
PATRIS PROVINCIALIS.

FR. DANIEL à VIRGINE MARIA humilis Prior Provincialis Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli Provinciæ Flandro-Belgicæ.

Harum ſerie, Facultatem facimus typis committendi Appendicem Apologeticam pro Joanne 44. Patriarcha Jeroſolymitano *à R. Admodum Patre Franciſco Bona Spei Ex-Provinciali & S. Theol. ac Scriptura Profeſſore elucubratam, & à duobus Theologis noſtra Provincia approbatam, eamque adjiciendi Operi de Immaculata Conceptione Beatiſsima Virginis Maria. Datum in Carmelo noſtro Geldrienſi die vigeſimâ Maij* 1665.

FR. DANIEL à VIRG. MARIÆ,
Provincialis qui ſuprà.

„& Iudex, ſed quaſi, denuntiante famâ, „vel deferente clamore, officij ſui debi- „tum exequatur. Licèt autem hoc ſit ob- „ſervandum in ſubditis: diligentius tamen „eſt obſervandum in Prælatis, qui quaſi „ſignum ſunt poſiti ad ſagittam. Et quia „non poſſunt omnibus placere, cum ex of- „ficio ſuo teneantur, non ſolùm arguere, „ſed etiam increpare, quin etiam interdum „ſuſpendere, nonnumquam verò ligare: fre- „quenter multorum odium incurrunt, & „inſidias patiuntur.„

63 In hæc autem omnia jura impegiſſe videtur Em. Baronius *Tom. 4. ad An.* 393. Quia imprimis *per ſeipſum, neque in princi- pio, neque in medio, neque in fine* cauſam, inter Ioannem ex una parte, & Epiphanium ac Hieronymum ex altera, cognovit; ſed per partem, ſive Epiphanium & Hieronymum dumtaxat, horum ſcripta nudè referendo, & abſque alio examine, tanquam certa & indubitata ſupponendo: imò nequidem illa inveſtigavit diligenter, alioqui judicaſſet, illa vacillare & ſibi non conſtare; Epiphanium per illicitam Pauliniani ordinationem diſcordię fundamentum jeciſſe; ſuſpicionis perverſæ fidei Joannis authorem fuiſſe; Joannem in Sacris Canonibus fundatum, Epiphanium meritò arguiſſe; ipſum & Hieronymum contra Joannem illegitimè proceſſiſſe; Joannem contra illos legitimè, &c. uti infrà, ſed maximè in *cauſa Chriſtorum Dei* n. 17. ad 46. clarius probabitur. Deindè: quia judicavit juxta Epiphanij ſcriptam ſuſpicionem, & Hieronymi in illa ſola fundatam, qua nequidem Epiphanius in judicio niti poterat, ſiquidem ibi *de manifeſtis tantummodò*; qualia non erant eorum ſuſpicioni ſubjecta, *datum eſt judicare*; nam *diſtrictus Iudex ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum*: judicabant enim ex ſola negatione reſponſi ad ſuas fidei interrogationes illegitimas, quæ negatio habet rationes juſtas ſecretiſſimas. Denique: quia coram ſenioribus non eſt veritatem diligentius perſcrutatus; ſed quaſi idem, Epiphanius & Hieronymus eſſe poſſet accuſator & judex, ex ſolis ipſorũ ſcriptis judicavit: nec attendit, quòd Ioannes erat Hieronymi Epiſcopus & Patriarcha, qui arguerat Epiphaniũ de illicita ordinatione Pauliniani, Germani Fratris Hieronymi ob eamque Epiphanio & huic illius fautori & in iſta cauſa parum iuſta patrono, gravia comminatus erat ac ideò *quaſi ſignum poſitus ad ſagittam* ipſorum, & qui ipſis, arguendo non ſolùm non placuerit ſed valde diſplicuerit.

64 Sed turpius impegit P. M. Lupus: quia inſupèr damnando Apologias (quas Em. Baronius videre ante mortem non potuit. Utinam vidiſſet; quia indubiè P. M. Lupo prudentior tum fuiſſet; examinaſſet illas, & utrâque auditâ parte dijudicaſſet) pro Ioanne Patriarcha Ieroſolymitano, haud ſecus quam pro Martino Luthero & Ioanne Calvino, Ioanni, *de crimine gravi accuſato defenſionis (quæ à jure provenit naturali)* per Apologias (quæ ſolæ pro ipſo reſpondere poſſunt) *facilitatem adimit, cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis exiſtunt*. Quòd pro aliquo Hæreſiarcha ab Eccleſia damnato tolerari poſſet; ſed pro vivo & mortuo in opinione ſanctitatis nullatenùs ab Orthodoxo poteſt; cùm haud minùs Epiphanius & Hieronymus, quàm ille, aliquid infirmitatis humanę admittere potuerint, & vix ullus ſit ex antiquioribus Sanctis Patribus, qui cõtra ſuſpiciones aut criminationes Apologia non eguerit vt patebit ex *cauſa Chriſtorum Dei à n.* 104. *ad n.* 112. Undè hîc maximè ponde-

ponderandum venit illud Farinacij de hæreſi q. 187. §. 1. n. 2. „An in crimine hæ„reſi; ad condemnandum requiratur plena „& concludens probatio, an verò ſufficiant „præſumptiones: dic, quod præſumptiones „(*quid plus ex litteris Epiphanij & Hierony„mi?*) non ſufficiunt ; ſed requiritur plena „& concludens probatio, ut per Albericũ, „Calder Archidiac. Rojas. Simanc. Lo„pez, Carerium, Decianum *&c. patet.*„

65 Secundò: pro accuſatore *cauſ.* 3. q. 11. cap. non eſt. *Nõ eſt credendum contra alios eorum confeſſioni, qui criminibus implicantur, niſi ſe prius probaverint innocentes; quia periculoſa eſt, & admitti non debet Rei adverſus quemcũque profeßio.* Iam autem probatum eſt, Epiphanium ordinationi illicitæ Pauliniani, Fratris Germani S. Hieronymi, implicatum fuiſſe, quando Joanni 44. Patriarchæ ſuſpicionem perverſæ fidei oppoſuit: unde, ſalvô meliori, Em. Baronius tã facilè admittere non debebat Epiphanij ſuſpicionẽ adverſus talem Patriarcham ; præſertim cùm cauſ. 6. q. 1. *oves* dicatur, *omnis ſuſpicio potiùs repellenda eſt, quã approbanda vel recipienda.* Ibid. q. 4. c. nullus. *Nullus Anathematizatorũ ſuſcipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab eis dicũtur, vel conſcribũtur. Eos dico anathematizatos eſſe, quos Epiſcopi ſuis ſcriptis anathematizaverant aut eorũ ſtatuta anathematizant.* Litteras autẽ Epiphanij & Hieronymi ſucceſſiſſe ſine tempore poſteriores fuiſſe à Joanne anathematis aut exilij comminatoris, patet ex pręmiſſis: ergo Em. Baronius illis tantã fidẽ habere non debuiſſet, ut quodammodò illis ſolis inhæreret; pręſertim cũ *cap.* ſequenti *ibid.* dicatur. *Omnes, quos SS. Patrũ ſtatuta, tam præteritis, quã futuris temporibus anathematizant, ſubmovemus & ab omni accuſatione fidelium,* maximè unius talis Patriarchæ, *alienamus.* Quid autẽ Concilia contra Epiphanium illicitè ordinantem decreverint, habes n. 52. Item *ibidem* q. 5. cap. accuſatores. *Accuſatores & Teſtes eſſe non poſſunt, qui ante heſternũ diem, aut nudiuſtertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læſi ſe ulciſci velint: inoffenſus igitur accuſatorum & teſtium affectus quærendus eſt, & non ſuſpectus.* Numquid manifeſtè patet ex Epiſtolis Epiphanij & Hieronymi contra Joannem, illos, ob redargutam Pauliniani ordinationẽ, fuiſſe in Joannem valdè cõmotos ac offenſos, & hinc de inimicitia poli ſuſpectos Joannis fidem ſuſpectaſſe. Quomodò igitur Baronnis illis totã fidem dat, nullam Joanni, ſuo munere juxta Sacros Canones fungenti, *n.* 52. precitatos & inde ipſos offendenti ? Denique *ibid.* c. ſuſpectos. „Suſpectos aut inimicos, *&c.* aut „quorum vita eſt accuſabilis, *&c.* Accuſa„tores eſſe & teſtes : & anteceſſores noſtri „Apoſtoli prohibuerunt, & nos eorum au„thoritate ſubmovemus, atque futuris tẽ„poribus excludimus. *Ibid. c. canonica.* Ca„nonica Sanctorum Patrum ſtatuta (ne co„lumnæ Sanctæ Eccleſiæ vacillent) ſe„quentes ac roborantes, *&c.* cunctos ſuſpe„ctos vel inimicos, *&c.* vel quorum vita „eſt accuſabilis ab omni accuſatione Epiſ„coporum funditùs ſubmovemus.

66 Numquid hæc ſufficere debebãt Em. Baronio, locô citatô, ut potiùs excuſaret Ioannẽ Patriarcham, cùm urgeret S. Canononum ſuprà *n.* 52. citatorũ prævaricationẽ, & legiſſet in Epiſtola Epiphanij contrà hunc, quorumdam murmurationes, quod more Iconoclaſtarum in Eccleſia propè Bethel ſcidiſſet *velum, depictam habens imaginẽ quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam,* inquiens; *cũ ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra authoritatem Scripturarũ, hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis, dedi conſiliũ cuſtodibus*

dibus ejuſdem loci, ut paupere mortuum eô obvolverent & efferrent. Unde multùm laborat, ut ipſum ab hæreſi Iconoclaſtarum purget, & faciliùs Ioannem purgaſſet à malè fundata Epiphanij ſuſpicione, quàm Epiphanium excuſarit, ut contra ipſum Ioannem ſequeretur malè fundatam & nunquam probatam Epiphanij, ac Hieronymi ex Epiphanio, ſuſpicionem de Ioannis origeniſmo: præſertim adverſus Prælatos præcipuè hæretici & criminoſi ab accuſatione repellantur. *cap. alieni cum ſeq.* 2. q. 7. videaturque Ioannes 44. prius contra Epiphanium ob illam fractam imaginem; poſterius verò ob Pauliniani ordinationem, opponere potuiſſe? Certè non videtur prudens, qui alitèr judicet, cum cap. *Si qui* cauſ. 2. q. 7. ità decernatur. „Si qui „ſunt vituperatores aut accuſatores Epiſ„coporum, vel reliquorum Sacerdotum, „non oportet eos à Iudicibus Eccleſiæ au„diri, antequam eorum diſcutiatur æſtima„tionis ſuſpicio vel opinio.„ Hanc autem ſuſpicionem vel opinionem Epiphanij, & Hieronymi ex Epiphanio, Em. Baronius audivit, & nihil minùs diſcuſſit, ut patet ex præmiſſis, magis tamen ex dicendis infrà: idque contra S. Canones *cauſ.* 2. cap. qualis: *perſona inferiorum ordinum in ſuperiorum accuſationem* (ergo multò minùs in ſuſpicionem) *recipienda non ſunt.* Epiphanius autem erat ſimplex Epiſcopus, Hieronymus Presbyter tantum; Ioannes verò Hieronymi Epiſcopus & Patriarcha.

67 Nec refert: quòd *ibid.* cap. *oves*, limitatio addatur. *Oves, quæ Paſtori ſuo commiſſa ſunt, eum nec reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenùs accuſare poſſunt.* Quia Ioannem à recta fide non exorbitaſſe fatetur ipſe Hieronymus in Epiſtola 61. ad Pammachium. *Certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, ut cupio & credo* (nota) *cur non verbis meis meum ſenſum loquitur?* cur non rationem dabimus infrà & in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 13. *ad* 47. & *n.* 70. *ad* 81. Multùm tamen differt ſuſpicio non rectæ fidei ab exorbitantia à recta fide, ut patet; ſed multò magis ab æquilibrio cum Martino Luthero & Ioanne Calvino, in quo P. M. Lupus ipſum injuſtiſſimè ponit.

68 Antequam tamen procedam vlteriùs: proteſtor, dum in tota hac *Appendice, Monito Chriſtiano* & *cauſa Chriſtorum Dei* Epiphanium & Hieronymum Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani *inimicos* dico, me nolle verbum iſtud in illam pejorem partem ſumere, quâ *inimicus* dicitur is, qui cum Dei offenſa alterius bonum averſatur, eivè in corde optat malum, &c. ſed in illam, quâ quis ipsô jure ab accuſando, teſtificando, aut judicando contra alterum repellitur: eò quòd Titius v. g. Cajum, conſanguineos aut familiares ejus, gravitèr offendit, ut v. g. litigando, pœnas excommunicationis, exilij, aut ſimiles vexas, v. g. accuſationis, infamationis in re valdè notabili &c. comminando, applicando, faciendo &c. aut ècontra, eò quod Cajus iam multa paſſus in Titium reagat, v. g. de hæreſi ſuſpectando, injuriando, obedientiam & Superiori debitam negando, ab ejus communione ſe ſeparando, & alios ad eandem ſeparationem provocando, ob quas, attentâ infirmitate humanâ, in foro poli, ſive externo contentioſo, inimicitia ſubeſſe præſumitur: quæ præſumptio nullius interiori Sanctitati præjudicat, & ideò in foro merè externo contentioſo, ità locum habet, ut etiam quivis, coram Deo ſanctiſſimus, ab accuſando, teſtificando & judicando contra alterum repellatur: Epiphanium

nium autem ac Hieronymum ex una parte, & Joannem 44. ex altera, fuiſſe hôc ſecundô ſenſu inimicos, manifeſtum eſt ex ſuprà citatis utriuſque Epiſtolis contra Joannem: non enim apparet, cur Sancti interdùm contrarijs non moveantur affectibus, qui judicium diſtrahant, ità ut ſine eorum injuria dici poſſit, eorumdem teſtimonium in tali caſu non eſſe omni exceptione majus, & per ſe convincens; nam Sacri Canones & leges teſtimonia amicorum, propinquorum, patronorum proxænetarum, domeſticorum, &c. quantumcumque aliàs ſint vitæ irreprehenſibilis, reſpuunt; nec unius præcisè, teſtimonium licèt Imperatoris, volunt ſufficere ad judicium.

69 Imò apud Hiſtoricos antiquiores & modernos, nihil conſtantius, quàm. Primò: quod S. Epiphanius & S. Joannes Chryſoſtomus tanquam inimici in foro poli contra ſe invicem egerint: ſiquidem referente Em. Baronio ad An. 402. num. 9. Ex Zozomeno lib. 8. cap. 14. Joanni Chryſoſtomo Epiphanium invitanti, hic „neque „eadem domo uſurum eſſe, neque una pre„caturum cum illo, renuntiabat, niſi libros „(*melius errores*) Origenis & Dioſcorum „una cum ſocijs expelleret: verùm cùm il„le ante cauſam cognitam facere, juſtum „non eſſe diceret, ac proinde differret *&c.* „*ſubdit Baronius* num. 22. *Imprecationes* „*mutuas ex eodem, Socrate & Leone Aug.* quô „tempore inter ſe litigarent, ille Ioanni „proteſtatus eſt. Spero te non moriturum „Epiſcopum. *Et Ioannes viciſſim proteſtatus* „*eſt.* Et ego ſpero, nec te quidem ingreſſu„rum Civitatem tuam. *Secundò, S. Cyril*„*lus Alexandrinus, & S. Ioannes Chryſoſto*„*mus iterum: nam Em. Baronius ibid. num.* „55. *refert hæc Cyrilli Epiſtola ad Atticum* „*verba*, Quod ſi concordiam Eccleſiarum „conſervare minimè contemnendum vi„detur: ſolve id, rogo, quod eam ſcindit: „mitte gladium in vaginam ſuam: jube ex „Epiſcoporum nomenclatura Ioannis no„men eximi: nam ſi parvi id facimus, non „affert dolorem Apoſtolorum choro Judas „proditor, in eodem cum ordine cenſus. „Iudæ autem nomine in eodem numero „relato, quô deinde nobis Matthias repo„netur, *&c.* Num. *autem* ibid. 60. *ſubdit*, „Conſideres hîc velim, Lector, quàm in„fenſiſſimo animo Cyrillus in Ioannem „Chryſoſtomum fuerit, qui nec defuncto „pepercerit, & acre bellum iam ornaret „adverſus eos, qui pro reſtitutione ipſius „nominis laborarent. *&* num. 62. *Ex* „*Epiſt. Iſidori ad Cyrillum.* Vt ergo & ego „non judicer, ipſeque non judiceris à Deo, „depone contentiones ob injuriæ propriæ „ultionem; ne viventem Eccleſiam diſſi„pes, ut æternam diſſentionem ei, ſub pie„tatis prætextu concinnes. *Et ſic de non*„*nullis alijs.* „.

70 Quibus meritò junges. *Primò*: Epiphanium adverſus Joannem exiſſe tanquàm hujus *inimicum*, declarante Hieronymô *Epiſt.* 61. ad Pammachium cap. 1. „Sci„mus omnes, quid tibi ſcripſerit, quid in„te arguerit, in quo, ut tu vis calumniatus „ſit: reſponde ad ſingula, per Epiſtolæ hu„jus gradere veſtigia; ne punctum quidem „& apicem calumniæ pertranſeas: ſi enim „egeris neligenter, ut & ego tibi credo „juranti, caſu aliqua tranſieris, ſtatim ille „clamabit & dicet (*utique Epiphanius.*) Hîc „hîc te victum teneo: hîc totus cardo „negotij verſatur. Non æquè inimici au„diunt, & amici. Qui inimicus eſt (*utique* „*Epiphanius*) etiam in ſcirpo nodum quæ„rit, *vide infrà num.* 38. *in fine. Secundò*:

„*Etiam Hieronymum* ibidem, *ubi declarat ſe* „*Ioannem* 44. odiô immortali perſequi, *his* „*verbis*: Nunc è diverſo ſuper omnia no„ſtros adverſarios immortali odiô perſe„quimur: blaſphemantibus Deum, clemen„tem porrigimus manum. Scribit (*ſcilicèt* „*Ioannes*) ad Theophylum Epiſcopum „Apologiam, *&c.* vide infra *n.*77.

71 Neque hæc fori purè externi contentioſi inimicitia per hoc tollitur, quod quiſpiam, coram Deo *ſanctus*, proteſtetur ſe, abſque odio & rancore, ex pura charitate & zelo ſalutis, procedere; quia hoc ipſum in foro poli præſumitur in quocumque ſuſpectum. Igitur hôc ſolô ſenſu verbum *inimicus* hîc, ad majorem juris expreſſionem, accipimus, nec aliô ſenſu à quoquam noſtram acceptionem intelligi volumus.

72 Tertiò: Pro teſte repellitur inimicus: quod patet *primò*: à fortiori ex juribus citatis pro repellendo accuſatore inimico; quia major habetur fides teſti, quàm accuſatori. Baronius autem contra Ioannem 44. tanquam de Origeniſmo ſuſpectum, non profert aliud teſtimonium aut accuſationem, quàm Epiphanij & Hieronymi inimicorum ejus, ſenſu datô *num.*68. ab accuſando & teſtificando contra Joannem rejectorum. *Secundò*: ex cap. veniens de teſt. & atteſt. *Nos tuam ſententiam commendamus, eò quod ille, qui eodem erat infectus crimine* (numquid vidimus *n.*66. Epiphanium fuiſſe tunc de Iconoclaſtarum hæreſi ſuſpectum?) *inde contra eum teſtificari non poſſet: nulliq; de ſe confeſſo* (numquid ipſe Epiphanius de ſe ſuſpicionem ſuam confitetur in Epiſtola ad Joannem?) *adverſus alium in eodem crimine* (præſertim non fundato, nec probato, ſed à Parte adverſa merè contra actionantem quæſito, uti infrà videbitur) *ſit credendum: nec unius teſtimonium* (prout ſolius Epiphanij in hac de perverſa fide Joannis ſuſpicione; nam Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium in illa ſuſpicione contra Joannem totus ſe fundat) *ad condemnationem ſufficiat alicujus.* Quâ igitur conſcientiâ Em. Baronius contra Joannem credit Epiphanio in eodē crimine confeſſo, & illius ſolius teſtimonium ad Ioannis condemnationem ſibi ſufficere putat? *Tertio*: ex cap. in omni „teſtimonio *ibid.* „In omni negotio princi„palis perſona, dicens veritatem de re ſibi „nota rectiſſimè, habenda eſt pro teſte, cui „adhibito uno efficiuntur duo teſtes, ad„hibitis duobus efficiuntur tres: quod pa„tenter oſtendit Dominus cùm dicit: „Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: quod ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duos teſtes, ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. *Idem alibi affirmat dicens*: Ego ſum, qui teſtimonum perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me Pater: nam in lege veſtra: ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum eſt. *Quarto* ex leg *jusjurandi* cod. *eodem.* ex quibus formata eſt regula generalis, quod *dicto unius* (etiam Cæſaris, ut patet ex cap. *in omni* ſtatim, & cap. *paſtoralis* nnm. 22. citato) *non eſt credendum. Quia vox unius, vox nullius.* Uti probat è commendatiſſimis totius Eccleſiæ modernis Prælatis, ex Romano, *ſingul.* 622. incipiente *dictum unius*, D. Fagnanus *in cap. Ne innitaris num.* 409. & *ſeq.* Ubi addit, *quantumcumque ſit fide dignus*, ut *cap.* à nobis, & ibi Abbas num. 1. pergit: *Et ideò non creditur magno Doctori atteſtanti de conſuetudine, ſeu de communi uſu loquendi* (multò minus de ſiniſtra fidei ſuſpicione, de qua

qua Epiphanius, aut Hieronymus nequidem atteſtantur eſſe *communem*, ſed oppoſitum) *ut de Bartolo notat* Baldus *in leg.* 11. quidam §.quod dicitur *in fine*. ff. *de acquirenda hæreditate*. Decius *conſilio* 472. Card. Zarabel *conſil.* 77. ubi ſcribit, *ſe nulli unquam voluiſſe in opinionibus* (præſertim ità injurioſis, & in caſu, apparentis ſaltem, inimicitiæ) *credere, niſi urgente ratione*. Archidiaconus in cap. *nolite timere*, apud Fagnanum ibidem. *Cuicumque magno Doctori non habeo credere, niſi ſuum dictum* (præſertim in ità injurioſis,&c. ut dixi) *approbetur per authenticam ſcripturam*. Joannes Lupus in repet.cap.*per veſtras*.§. 20. art. 3. nu. 12. *Non eſt credendum Doctoribus,quantumcumque doctrinâ polleant,dum carent fundamẽto.* Unde Barboſa *de offic.& poteſt.Epiſ. p.* 3. *Alleg.* 112. *num.* 3. Epiſcoporum accuſatio non eſt facilè recipienda; dicit enim *Apoſt*. 1.*ad Thim*.5.adverſus Presbyterum accuſationem non recipiendam, abſque duobus vel tribus idoneis teſtibus, quantò magis adverſus Epiſcopos, ut ait Sixtus Papa in *cap.accuſatio Epiſcoporum* 2. *q.* 7. etiam in caſu hæreſis, ut ſtatim videbimus.

73 Subdit autem Proſper Farinacius *lib.* 11. *de oppoſ.* contra perſonam teſtis tit. 6 q.53. num. 5. *ut regula procedat,etiam in criminibus exceptis, ut puta hæreſis, læſæ majeſtatis, ſimoniæ, ac aliis ſimilibus, & graviſſimis delictis; nam & in iis inimici non admittuntur in teſtes,per text.* in c. per tuas, *ubi Io.de Ana.& communiter alii* ext. de ſimon.voluerunt *Specul.*in tit.de accuſ. §. 1. in fin. *Ang. & Alban.* l. famoſi. ff. ad l. Iul.majeſt.*Bart.*in l. in quæſtionib.ff.eod. *Marſ.*in l.1.§.præterea, *poſt num.*1. *& ſeq.* ff. de q. & in l. de minore, in princ. nu,8. ff. eodem. *Gram.* conſ. 46. num. 8. & 9. & voto 3.num.30.31. & voto 11. nu.17. *Afflict.* in c. 1. §. & bona committentium, num. 9. tit. quæ ſint. regal. in uſib. feud. *Guindiſal.*in tractat.de hæretic.q.13. n.13. *Feder.* de Sen. conſil. 252. reverendo in Chriſto Patri, prope finem. *Oldrad.* conſ. 210. nu. 7. *verſicul.* ſunt etiam.*Marſi* conſ. 65.num.20.*Crot.*de teſtib. part.3. nu.97. in prima & ſecunda ampliatione. *Gigas* de crimin. læſæ majeſt. lib. 2. tit. quom. & per quos crim. læſæ majeſt.prob. 72. n. 1. & 2.*Campeg.* de teſtibus, reg.26. in princ. *Ubi quod inimicus repellitur, etiam in caſibus, ubi alias inhabiles admittuntur.* Ant. Gom. var. reſol. tom.3. cap.12. rubr. de proba. delict. num.14. verſ. & in tantum hoc eſt verum, *Corra.* in prac. d. rub. de teſtibus §. perſonas teſtium aſſumendo, num. 65. ad medium verſ.addit tamen.*Rol.*conſ.24. num.30. lib.1. & conſ.65. num.28. lib.4. *Menoch.*de arbit. q. lib.1. q.28. num.2. & ſeq.*Vulpel.*conſ.12. num.10. *Bertaz.* conſ. 38.num.16.lib.1.& conſ.528.nu.5. lib.2. *Clar.*d.q.24. verſ. item quæro, *Burſ.* conſ. 346. num.11. in fi. *Maſc.* de prob. lib. 1. concl.462. num.31. & lib. 2. concl. 857. num.40.& ſeqq.*ubi loquens præcipuè in crimine hæreſis, teſtatur de communi opinione, quidquid in contrarium ſenſerit Nicol. Arelatan.*in tract.de hæret.notab.10. non ignoras; num. 2. *cujus rationibus benè reſpondet ibidem. Maſc.* num. 45. *verſ.* verumtamen, & num.46. & concluſ.899. num. 2. eod. lib.2.& concl.1313.num.7.& 8.lib.3. *ubi & idem in crimine ſodomiæ*, Tib. Dec. inter ſuos tract.crim.lib.3.cap.25. num.6. par. 1. *Sin. inimicus repellitur ab accuſando etiam in criminalibus exceptis,*ut dixi in 3. lib.tit. de accuſ. q. 12. num. 39. ſeq. *multò magis erit repellendus à teſtificando, cùm majoris ſit præjudicii ob majorem fidem, quæ datur teſti potius,*

potius, quàm accuſatori. Et in crimine blaſphemiæ, quod omnibus aliis atrociſſimum eſt, nec inimicos teſtes admitti voluit. Gram. conſ. 15. num. 12. *quem in propoſito refert, & ſequitur Decian.* in tract. cri. tom. 2. lib. 6. c. 4. n. 8. Item de Hæreſi q. 188. num. 108. *à teſtificando repelluntur non ſolùm inimici, ſed etiam ſuſpecti de inimicitia, & ſic præſumpti inimici, ut puta amici ſubditi aut conſanguinei capitalis inimici.* Et dum recipiuntur reconciliati *illis non eſt credendum, niſi legitimo adminiculo adjuventur.* Calder &c.

74 Item præcit. q. 53. num. 12. *ut inimicorum teſtimonium non ſolùm non probet plenè, ſed nec etiam ſemiplenè, imò nec faciat indicium aut præſumptionem aliquam Bal.* conſ. 36 præſuppoſito ſtatuto, col. 1. lib. 4. *Marſi.* conſ. 15. num. 6. *Aym.* conſ. 9. nu. 6. *Gig.* qui alios adducit concordantes, in tract. de cri. læſ. majeſt. lib. 2. tit. quom. & per quos crimen læſ. majeſt. prob. q. 2. num. 38. *Menoch.* de arbit. q. lib. 1. q. 28. num. 5. *Rol.* conſ. 95. nu. 29. lib. 4. *Bertaz.* conſ. 8. num. 44. *Burſa.* conſ. 20. num. 54. lib. 1. *ubi teſtatur de communi opinione prout illum refert Bonac.* in ſuis comm. opin. cri. part. 2. verſ. inimici non probant. *Cùm n. teſtis iſte non debuiſſet examinari, ut probatum eſt in regula, ſuccedit altera pariter, & communis concluſio, quod examinatus non facit indicium,* ut per Gram. conſ. 42. num. 4. & 5. & conſ. 28. num. 14. *& dicam latius infrà* in materia teſtis inhabilis, *q.* 62. num. 283. Ita ille loco citato

75 Quomodò igitur ad ſuſpicionem ſolius Epiphanij (nam aliam non fuiſſe, ſed in illa ſolum ſe fundaſſe Hieronymum, patet ex ejus Epiſtola *ad Pammachium*, cujus verba infrà citabimus) potuit Em. Baronius juſtè virum talem, qualis *ſuppoſito* 4. *num.* 50. canonicè laudatus eſt, ità judicare & condemnare? Quomodò P. M. Lupus auſus eſt, nullis adductis rationibus aut fundamentis, eum Martino Luthero & Joanni Calvino comparare? Neſcio: nam Farinacius *de hæreſi q.* 188. §. 4. *nu.* 64. ſic ſcribit. „Regula ſecunda ſit: „quod in crimine hæreſis unus teſtis ad „condemnandum non ſufficiat, ut plenè „ſcripſit Simanchas &c. Amplia hanc re„gulam, ut in crimine hæreſis teſtis unus „non ſufficiat ad condemnandum, etiam „junctâ famâ. *In ſum.* Sylveſtri. *verbo* hæ„reticus. Rupert. Inquiſ. Simanchas *&* „*alij, quos citat. Reſpondet tamen in ſimili,* „*ſententia Innocentij tertij* cap. *cum dilectis* „*de calumniatoribus.* Cùm autem proceſſum „negotij examinaverimus diligenter, nec „intelligere potuerimus probatum eſſe ſuf„ficienter aliquod de prædictis, eundem „Epiſcopum abſolvendum decernimus ab „objectis: vobis mandantes, quatenus me„moratum N. donec canonicè ſuam pur„gaverit innocentiam, ſcilicèt, quod non „calumniãdi animo ad hujuſmodi crimina „proponenda proceſſit; ab officio & bene„ficio ſuſpendatis, ut cæteri ſimili pœna „perterriti, ad infamiam ſuorum non facilè „pertranſeant Prælatorum.„

76 Intereà, inquies, enormiter læſa manet viri Sancti, ut ajunt, fama & honos Patriarchalis, & in ipſo totus Carmelitarum Ordo non modicam patitur injuriam. Verè quidem: ſed, hâc Appendice viſâ, ſpero fore, ut omnes dicant cum Evariſto Papa cap. *ſi qui* cauſ. 2. q. 7. „Si qui ſunt vitu„peratores aut accuſatores Epiſcoporum, „vel reliquorum Sacerdotum, non oportet „eos à Judicibus Eccleſiæ audiri, ante„quam eorum diſcutiatur æſtimationis „ſuſpicio vel opinio, quâ intentione, quâ „fide, quâ temeritate, quâ vitâ, quâ con„ſcientiâ,

„ſcientiâ, quôvè meritô, ſi pro Deo, aut „pro vana gloria, aut inimicitia: vel odio „aut impuditate, illa præſumpſerint, nec „nè.„ Quòd bene & juſtè obſerverunt omnes præcitati *num.* 50. utinam & poſt illos P. M. Lupus, cui tamen non ſtatim ab Innocentio & ab alijs maximam decretam pœnam, ſed omne bonum exopto. Subdit Barbôſa de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 112. num. 2. *Epiſcoporum igitur cauſas à Romano Pontifice* (cui æquales Em. Baronius & multò minus P. M. Lupus ſe non præſumunt) *Sedeq́, Apoſtolica, & non ab alio, finiri, vel ab Apoſtolica Sedis conſtitutis* I*udicibus cognoſci oportere.* Traditur in cap. *Inquiſitores de hæret. in 6.* cap. *nullam* 2. q. 5. Ex quo Farinacius de hæreſi q. 186. §. 5. num. 14. *Inquiſitor, non ſolum non poteſt Epiſcopum hæreticum declarare & punire, ſed nec poteſt etiam contra ipſum inquirere, aut procedere.* Textu in cap. *Inquiſitores* &c. ubi ad litteram dicitur, *Inquiſitores hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica Sede ſeu alio, vel alijs cujuſlibet deputati, de hujuſmodi crimine inquirere contra Epiſcopos nequeunt, aut ejus prætextu procedere contra eos.*

SEPTIMUM.

77 Suppono ſeptimò: EpiſcopumCoepiſcopo non teneri reddere rationem ſuæ fidei, prout expreſſum eſt lege generali juris civilis ult. de Juriſdictione, *extra Territorium jus dicenti impunè non paretur.* Id eſt licitè contemnitur. Unde immeritò Hieronymus in Epiſtola *ad Pammachium* Joannem 44. ſic arguit. *Quæ hæc eſt tanta arrogantia, non reſpondere de fide interrogantibus* (certè hæc verba non ſonant magnam Hieronymum inter & Joannem 44. amicitiam; ſed relativa videntur ad priora. *Ille,* Epiphanius, *clamabit & dicet, hic, hic te victum teneo, hîc totius negotij cardo verſatur. Non æquè inimici* (nota) *audiunt ac amici. Qui inimicus eſt* (nota) *etiam in ſcripto nodum quærit.*) Et infrà *Præſto ſunt Epiſtolæ Epiphanij. Vna ad ipſum,* ſcilicèt Joannem, *alia ad Epiſcopos Palæſtinos: & nuper ad Romanum Pontificem, in quibus dicit ſe coram multis de dogmatibus arguentem non meruiſſe reſponſum.* Vide ſolutionem *n.* 60. & in *cauſa Chriſtorum Dei n.* 41. *&* 44. Deindè manifeſtum ex cod. lib 7. tit. 47. *de Iudice non competente,* & Farinacio ex textu *in cap. Inquiſitores,* tit. *num.* 76. neque Epiphanium, neque Hieronymum, qui Parochianus erat Joannis 44. hunc de fide ſua legitimè & comperenter interrogaſſe, vt patet ex premiſſis *n.* 72. *&* 76. ſed tam fuiſſe illegitimos abſque commiſſione Superioris, & non competentes interrogatores Joannis Epiſcopi ac Patriarchæ, quàm fuerint ejus Judices non competentes: ac proindè Joannem, nullâ arrogantiâ, ſed magnâ juriſprudentiâ, noluiſſe reſpondere, & reſponſum urſiſſe, temeritatis nota non vacaſſe, ut patet; præſertim attentô dictô Evariſti Papæ cap. *ſunt cauſ.* 2. q. 7. *Sunt nonnulli, qui Præpoſitos ſuos perverſè reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint.* Et *ibid.* cap. *qualis,* & cap. *Oves.* num. 23. citatis. Eſt autem lex præcitata *ultima de Iuriſdictione* expreſſis terminis canonizata. *in cap. ut animarum de Conſtitut. in 6. Extra territorium jus dicenti non paretur impunè:* Ergo à fortiori ſine ulla juriſdictione Hieronymò ſibi dicenti jus interrogandi Ioannem, ſuum Epiſcopum & Patriarcham, ipſe Ioannes non paruit impunè. Quarè abſolutè in terminis generalibus ſtatuunt Pontifices, *Anacletus* Epiſt. 1. cap. 3. *Hyginius* Epiſt. 1. cap. 4. *Fabia-*

nus

nus Epiſt. 3. cap. 2. & alij, *Epiſcopum non debere alibi, quàm in ſuo foro audiri.* Hoc eſt, vel apud Metropolitanum ſuum, vel provinciale Concilium: nam juxta Barboſam de off. & poteſt Epiſc. p. 3. alleg. 112. num. 9. noviſſimè Hieron. vener. & layva, in Exam. Epiſc. lib. 4, c. 18. num. 1. 7. & 8. *Quamvis jure antiquo, ſi contingeret criminaliter agi contra Epiſcopum, & crimen poſtularet depoſitionem ab Ordine & dignitate Epiſcopali, examinanda erat cauſa ab omnibus Epiſcopis totius provinciæ, unà cum Metropolitano* (allegent D. Baronius & P. M. Lupus, ubi id, & quando factum.) *Vel ut minimum à* 12. *Epiſcopis ultra Metropolitanum, ut notat gloſſa, in* Sum. *verbo* quod autem 3. q. 8. *textum in cap.* ſi quis Epiſcopus 6. *q.* 4. Patriarcham verò, uti Ioannes erat, ſi non ſimul Metropolitanus, quod tamen ſufficienter videtur probatum *num.* 14. ſaltem Patriarchali honore, ut patet ex *ſuppoſito ſecundo* & *tertio*, ſuprà Metropolitanum ſuffultus, à ſolo Papa, ut vidimus, aut Papæ Commiſſarijs. Ex præmiſſis autem

78 Sic argumentor. Suppreſſis, aut non poſitis, litteris quatenus Epiphanij & Hieronymi adverſus Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum, hic Ioannes 44. attentis præmiſſis *ſuppoſitô* 4. *num.* 50. & fuſius in Monito Chriſtiano a *n.* 2. *ad* 18. nec ſcientiâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtimoniô, eſt multò minor Epiphanio & Hieronymo, licèt ſit illis dignitate Patriarchali ſuperior; aut ècontra, Epiphanius & Hieronymus, nec ſcientiâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtimoniô, ſunt multò majores Ioanni 44. & aliundè ſunt illo inferiores dignitate Patriarchali: atqui, vel pro ſuppreſſis, aut non poſitis, quatenùs Epiphanij & Hieronymi adverſus Ioannem Patriarcham Ieroſolymitanum, ab omnibus haberi debent; vel omniâ jura præcitata, ac ferè totum jus Canonicum de judicijs, accuſationibus & teſtibus, corruunt: ergo illæ litteræ, quatenùs &c. pro ſuppreſſis aut non poſitis, ſed à quodam malevolo ſuppoſitis, haberi debent: niſi benigne intelligantur ſecundum explicationem dandam in *cauſa Chriſtorum Dei* a *n.* 15. *ad* 46. ac proinde Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, attentis præmiſſis *ſuppoſ.* 4. ita extolli, ut nec ſcientâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtimoniô, multò minor Epiphanio & Hieronymo habeatur, ſitque his dignitate Patriarchali ſuperior; aut ècontra ita, ut Epiphanius & Hieronymus, nec ſcientiâ, nec vitæ meritô, nec totius Orbis teſtiniô habeantur multò majores Ioanne 44. tamen ſint illo inferiores dignitate Patriarchali.

EX-

EXAMEN ET REFUTATIO PRIMA

Criminationis P. M. Chriſtiani Lupi adverſus Joannem 44.

§. I.

Eâdem viâ errores ſuos conatus eſt fucare

79 PRimò : *errores ſuos.* Quos errores? Nullos adfert, nec determinatè poſſet, præter Hieronymi & Epiphanij infamationes, de quibus poſteà. In qua Synodo aut Concilio adverſus Joannem Jeroſolymitanum, ante aut poſt mortem ejus, propoſitos, examinatos aut damnatos? Omnia tacet: nec mirum; quia nec ipſe, nec alius ullum tale vidit, aut legit unquam. Imò ipſe Hieronymus in Epiſtola *ad Pammachium* contra errores Joannis, fatetur Joannem nullam hæreſim Eccleſiæ diſplicentem defendiſſe, *non eras tam ſtultus, ut apertè defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere.* De his fuſiùs in *cauſa Chriſtorum Dei.* Secundò. *Eâdem viâ conatus eſt fucare.* Quâ viâ? *An defendendo ſe non eſſe ejus dogmatis, cujus arguitur*, uti Marcellus Ancyræ Epiſcopus? *An defendendo ſe non ità ſenſiſſe, uti arguitur*, uti Priſcillianus? Neutrum reperiet in ſcriptis Joannis; Neutrum ab Epiphanio, Hieronymo, aut alio Joannis adverſario, in Ioanne reprehenſum, aut Ioanni objectum : injuſtèque in eo reprehenderetur, aut id ei objiceretur, niſi aliundè conſtet, vel probetur erratum : hoc autem non probat P. M. Lupus; neque de illo aliundè conſtat, quàm ex Epiſtolis Epiphanij *ad Ioannem*, & Hieronymi *ad Pammachium contra Ioannem*, quæ præter ſuſpicionem erroris à ſe primò inductam, uti infrà in *cauſa Chriſtorum Dei* convincitur, nihil concludunt.

§. II.

Qui hodiè pro Ioanne Ieroſolymitano Apologias in Eccleſiam ſpargunt, lavant Æthiopem.

80 TErtiò *Lavant Æthiopem.* Rogo : An P. M. Lupus Apologias pro Ioanne Ieroſolymitano in Eccleſiam ſparſas à Doctiſſimo P. M. Waſtelio, à ſapientiſſimo P. M. Lezana & alijs legerit. Legit, vel non legit? Si legerit, cur ipſorum argumenta non ſolvit, ut vitet calumniam ſapientiæ ſuæ Doctorali parùm convenientem. Si non legerit, cœcus judicat de coloribus, quod nequidem pictores faciunt, ſive juxta Adagium Eraſmi *Epiſt.* 1. ad Barbirium, *tantum*

tum ſapit in illis, quantum de pictura Camelus. Imò Seneca, etiamſi Ethnicus, contra clamat, *qui ſtatuit aliquid, parte inauditâ alterâ, æquum licèt ſtatuerit, haud æquus fuit.* Vide dicta *ſuppoſ.* 4. *n.* 50. *&* 51.

81 Ubinam *Æthiopem* videt Ioannem 44.? Apud Auguſtinum, dicentem *lib.* 2. contra litteras Petiliani cap. 5. *Cathedra quid tibi fecit Romana Eccleſia, in qua Petrus ſedit, & hodiè Anaſtaſius ſedet; vel Eccleſia Ieroſolymitana, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodiè Ioannes ſedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur?* Minimè; quia ibi Ioannis innocentiam & fidei puritatem commendat, uti Anaſtaſij Papæ. Imò gloriatur ſe fidem & communionem tenere Ioannis Ieroſolymitani; & tamen noverat diſputationem iſtorum Sanctorum: ſed uti ſapientiſſimè ſcribit Epiſt. 3. ad Fortunatianum: *Neque quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas, habere debemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divinô adjutoriô, vel ab alijs intellecta, vel à nobis: talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.* Vide infrà *Monitum Chriſtianum*] à n. 2. ad 18. ubi obſecro, P. M. Lupus vidit Ioannem 44. Æthiopem? Apud SS. Epiphanium & Hieronymum, Em. Card. Baronium & Bellarminum, aut Hiſtoriæ Sacræ tomum 9. Minimè, ut patebit in *cauſa Chriſtorum Dei* infrà.

§. III.

Compeſcendique ſunt, ut ingenia libertina & noxia.

82 QUæro primò: qui Libertini? Sic eos bene definit „Theodoretus *in Pſal.* 11. Sermones „metiri neſciunt, neque divinas leges reſ„picere volunt: ſed effrænato ore utentes, „cum audacia quidquid volunt loquun„tur, divinam patientiam deſpicientes, nec „ſub Dei poteſtate ſe eſſe cogitantes. Ta„lis fuit Pharao, ideoque dixit: *non novi Do„minum,* &c. *Irenæus verò lib.* 2. *cap.* 24. In „tantum inſaniâ effrænati ſunt, ut omnia „quæcumque ſunt irreligioſa & impia, po„teſtatem ſe habere operandi dicant, ſola „enim humana opinione differre negotia „bona, *&c.* ſecundùm opinionem homi„num quædam quidem bona, quædam au„tem mala vocari aſſerunt, cùm nihil na„turâ malum ſit.„

83 Numquid fortè P. M. Lupus vult P. M. Waſtelium & Eximium D. Colvenerium Doctorem Duacenum, qui ejus pro Ioanne Apologiam approbavit; P. M. de Lezana, & Magiſtrum S. Palatij, qui Romæ, ubi ſedet Summus Pontifex, hujus pro Ioanne Apologiam imprimi mandavit; Pontifices, ac ſpecialiter Anaſtaſium ſtatim citatum, qui Ioannem admodùm commendarunt; Auguſtinum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Martyrologiorum Scriptores multos, qui Ioannem inter Sanctos connumerarunt; celeberrimos Doctores, qui ejus fidem & merita ab omni umbra ſiniſtræ ſuſpicionis liberarunt, ut vidimus ſuprà *Praamb.* 3. *ſuppoſ.* 4. & infrà *in*

Monito Chriſtano à n. 2. ad 18. fuſius, eſſe de iſtorum genere libertinorum? Abſit ut de iſto mihi cordialiſſimo viro talia cogitem.

§. IV.

Niſi brevi etiam, &c.

84 QUintò: *Niſi brevi etiam pro Martino Luthero, & Ioanne Calvino velimus Apologias videre.* Ergo putat P. M. Lupus in Scriptis Ioannis Ieroſolymitani, uti in Lutheri & Calvini libris, apertas hæreſes contineri? Illas proferat; nullus unquam vel unam protulit, licèt in foro poli *inimicus*, ut Epiphanius, ſenſu datô *num.* 68. Hieronymus, & horum ſectatores alij. Ergo putat Ioannem Ieroſolymitanum in aliquo Concilio Generali aut particulari, à S. Sede Romana approbato, anathematizatum, uti fuêre in erroribus ſuis Lutherus & Calvinus in Concilio Tridentino? Producat Concilium: nullus unquàm, etiam inimiciſſimus, tale produxit. Et cap. *litteras* 14. *de præſumpt.* dicitur *propter ſolam ſuſpicionem (quamvis vehementer) nolumus illum* (aſſertum à fratre chariſſimo hæreticum) *de tam gravi crimine condemnari.* Suſpicio autem illa de Ioanne non fuit à *fratre chariſſimo*; ſed ab Epiphanio Ioannis in foro poli inimico: non fuit *vehemens*, ſed quæſita, & ſine ullo allato aut adſeribili fundamento levis, ac ab ipſomet Hieronymo falſitatis evicta & rejecta; ſive accuſationi, tamquam quæſitæ & frivolæ, nihil deferente Syriciô Papâ, ſive hanc ipſam improbante Theophylo Patriarcha, ad quem, tamquàm ſummi Pontificis in iſtis partibus Vicarium Ioannes 44. ſuas querelas miſerat.

85 Legitnè P. M. Lupus in Sacris alicujus Eccleſiæ Romanæ Dyptichis nomen Martini Lutheri, aut Ioannis Calvini, prout nomen Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani inviolatè Orientalibus inſcriptum, teſte Epiphanio ejus adverſario ſuprà *num.* 100. citato, legitur. Nomen S. Cyrilli, S. Chryſoſtomi & nonnullorum aliorum, aliquandò inſcriptum, & poſteà expunctum dabit; de Ioanne neutiquam, oppoſitumque probant præmiſſa *ſuppoſito quarto*. Intereà hunc cum Martino Luthero & Joanne Calvino componit, quod reverà nullatenùs cohæret ejus Notis & Scholijs *ad Canones quinti Concilij Generalis cap.* 8. *diſſert.* Ubi ſic ſcribit. *Omnium fidelium, Epiſcoporum præſertim, in Eccleſia pace defunctorum nomina bonoratis tabulis inſcribere, & indies ſolenniter ad Miſſarum ſolennia Altare & recitare, eſt antiquiſſima omnium ſub cælo Eccleſiarum conſuetudo, & Apoſtolicum inſtitutum, de quo in Apologia pro ſancto Dyonifio Patriarcha Alexandrino ſcribit adverſum ejus criminatores Arianos ſanctus Athanaſius*: Magni certè argumenti eſt, nihil eos verè dicere, & calumnijs virum premere, quod ille nunquam ab alijs Epiſcopis de impietate convictus eſt; neque hæreſim propugnando ab Eccleſia receſſit, ſed in ea cum pietate obdormivit; quodque ejus memoria hactenùs cum Patribus hucuſque celebrata eſt, & in Cathalogum relata. Qui ſi cum iſtis ejuſdem opinionis

 fuiſſet.

fuiſſet, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, paſſurus fuiſſet. *Expunctus fuiſſet de tabula piorum Epiſcoporum. Et ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcribit in literis, poſt Synodum Chalcedonenſem exſtantibus contra Timotheum Ælurum ſuum, Pſeudo-Patriarcham Synodus Ægyptiaca diœceſeos, Ep.* 23.

86 Dicat igitur. *Primò*, P. M. Lupus: ubi & quandò, ante aut poſt mortem Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, nomen ejus ſacris Dyptichis inſcriptum, fuerit eraſum. *Secundò*. An ſi Martino Luthero & Joanne Calvino ſanctior & in Romana fide non ſolùm irreprehenſibilior, ſed irreprehenſibilis non vixiſſet, nomen ejus ante vel poſt mortem è ſacris Dyptichis eraſum non fuiſſet? *Tertiò*. An non juxta Apologiam S. Athanaſij pro S. Dionyſio Patriarcha Alexandrino, *Magni certè argumenti eſt, nihil P. M. Lupum, verè dicere, & calumnijs Ioannem* 44. *Patriarcham Ieroſolymitanum premere, quod ille ab alijs Epiſcopis nunquam de impietate convictus eſt*, (licèt ab Epiphanio & Hieronymo ſuſpicione merè quæſitâ, ſibi ſuprà probatum eſt, ſuſpectus) *neque hæreſim propugnando ab Eccleſia ſeceſſit* (imò nequidem fuit unquam de illius ſuſpicione authoritate alicujus ſe Superioris monitus;) *ſed in ea cum pietate obdormivit; quodq; ejus memoria hactenus cum Patribus hucuſque celebrata eſt, & in Catalogo relata, qui ſi cum Origene vel alio Heretico ejuſdem opinionis fuiſſet, minimè dubium, quin eadem, quæ illi, paſſurus fuiſſet*: ſive ut addit, *Expunctus fuiſſet de tabula piorum Epiſcoporum*. Igitur: vel fallit P. M. Lupus, vel fallit S. Athanaſius. Non fallit S. Athanaſius: ſed P. M. Lupus per hæc, quæ ibi dicit, contradicit alijs, quæ ità ſordidè de Joanne 44. Patriarcha Jeroſolymitano ſcripſit, Lutheranis & Calviniſtis contra antiquiſſimas Græcorum Liturgias arma ſubminiſtrat, & Innoxij expunctione è tabulis graviſſimum crimen, ſe judice, committit.

Præmiſſum Examen et refutatio prima Pſeudogmatis R. P. M. Lupi, adverſus Ioannem 44. longè fuſiùs habetur in prima impreſſione. Sed cùm præcipua illius fundamenta accuratiùs diſcuſſa, causae Christorum dei, infrà defendendæ, inſeri oportuerit, brevitati conſulentes, curioſum Lectorem pro iſto *Examine & Refutatione* ad iſtam Impreſſionem remittendum judicamus. Spargunt quidem P. M. Lupus & fautorum ejus nonnulli, me Tomum ejus, in quo erravit, antè evulgationem per ſingula folia habuiſſe, mihiq; tribuunt Impertinens, de quo infrà in causa Christorum dei; ſed frivolæ ſunt excuſationes in peccatis, proteſtorque coram Deo utrumque falſò ſpargi. Ego enim, nec ſingula folia habui, nec errorem cognovi antè totum Opus, ſive utrumque Tomum, aliquamdiu evulgatum, nec Impertinens illud ſuggeſſi, aut imprimendum ſcivi. Quid? Adeonè fuiſſem S. Ordini meo, cujus honorem ex voto zelare cogor injurioſus, ut hunc mallem lædi permittere, & læſum per Apologiam diminutè reparare, quàm præviâ monitione Authoris mihi amiciſſimi integrè illius infamationem maximam impedire? levis erit corde, qui ità credet; credat interim P. M. Lupus alios eſſe in Ordine noſtro, qui zelum honoris ejus ſecundùm ſuam profeſſionem zelent, & non miretur, ſi hinc inde ſuæ infamationi non ſatis circumſpectæ, & à ſe principijs evidenter falſis propugnatæ, Impertinentia pertinentia à zelo zelatis pro S. Or-

Ordinis ſui honore opponantur. Igitur R. P. M. Lupus Apologeticum noſtrum Reſponſum patienter ferat, niſi poſt Hieronymum *Epiſt.* 16. *ad Auguſtinum*, adire velit: *Nec ego tibi; ſed cauſa cauſa reſpondit: & ſi culpa eſt reſpondiſſe, quaſo ut patienter feras; multò major eſt provocaſſe.*

FINIS

FACVLTAS
REVERENDI ADMODUM
PATRIS PROVINCIALIS.

FR. DANIEL à VIRGINE MARIA humilis Prior Provincialis Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli Provinciæ Flandro-Belgicæ.

Harum ſerie, Facultatem facimus typis committendi Appendicem Apologeticam pro Joanne 44. Patriarcha Jeroſolymitano *à R. Admodum Patre Franciſco Bonæ Spei Ex-Provinciali & S. Theol. ac Scripturæ Profeſſore elucubratam, & à duobus Theologis noſtræ Provinciæ approbatam, eamque adjiciendi Operi de Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Datum in Carmelo noſtro Geldrienſi die vigeſimâ Maij* 1665.

FR. DANIEL à VIRG. MARIA,
Provincialis qui ſuprà.

APPROBATIO

PROFSSORUM ORDINIS

APpendix hæc pro Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano, adverſus R. P. M. Lupum Ordinis Erem. S. Auguſtini, ſuo textui conſona eſt, & contra radios ſpurios neceſſarium pupillæ oculi Ordinis noſtri umbraculum: eam proindè, uti textum ſuprà, prælo quantocùs mandandum judicamus. Datum Mechlinæ 15. Mars 1665.

Fr. Michael à S. Augustino
Prior Mechlinienſis.
Fr. Iacobus ſacræ Theologiæ Profeſſor Lovanij.

APPROBATIO CENSORIS.

A*ppendix hac Apologetica pro Ioanne* 44. *&c. Vnà cum viſione Eliæ* R. P. F. Franciſci Bonæ Spei *prodeat in Lucem & ſerviat ad veritatem, in quâ Judicetur & quid de* Ioanne 44. *ſenſerit ea, quâ ipſe vixit, ætas, & quid de eodem ſentire poßit ſecuta & ſecutura poſteritas. Datum Antuerpiæ* 1. *Iunij* 1665.

Ioannes de Capua Canonicus
Antuerpienſis Librorum Cenſor.

Quia autem hîc locus opportunè vacat, ſint

ERRATA APPENDICIS, &c.

n.12.col.2.l.10.patris *pacis*. l.17. neſcieras *neſciebas*. mandari *mandaſti*. l.30.auctis *cunctis*. l.35. fuiſſe *adde* Synodum. n.33.col.3.l.2.Ieroſolymitanam *adde* rexerunt. l.3.quidquid *adde* de n.39 col.2.l.4.n.76.& 39.*lege* n.36.& 37.n.48.l.4. Sed *Sedi*.n.60. col.3.l.12. Epiphanius *Epiphanium*. n.70.l.2.exiſſe *egiſſe*.